Klassische Philologie

De orationibus quae sunt in Xenophontis Hellenicis.

Commentatio philologa

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine universitatis litterarum Monasteriensis rite impetrandos scripsit

Elisabeth Vorrenhagen,
Rhenana.

Elberfeld
Buchdruckerei Karl Rheinen
1926

Referent: **Prof. Dr. K. Münscher.**
Dekan: **Prof. Dr. W. Benecke.**

Examen rigorosum habitum est a. d. X. Kal. Oct. a. MCMXXV.

Prooemium.

Quo modo Xenophontis Hellenica orta, quo consilio conscripta sint.

De orationibus quae sunt in Xenophontis Hellenicis disputaturae non praetereunda mihi est illa quaestio inter viros doctos iterum iterumque tractata, quo modo hoc Xenophontis opus ortum, quo consilio conscriptum sit.

Neque simplex neque unum opus esse Xenophontis Historiam Graecam neque continuo scriptum, quamquam E. Schwartz[1]) affirmavit, cuius sententiam E. Meyer[2]) atque novissime A. Rapaport[3]) secuti sunt, mihi persuasum est. Etenim iam B. G. Niebuhr[4]) duas Xenophontis Historiae Graecae partes secernendas esse statuit, cum libros primum et alterum longe aliter compositos atque a ceteris diversos esse recte cognovisset. In duas vero partes, sed prorsus aliter circumscriptas opus Xenophonteum divisum est a Nitschio[5]) qui libros I—V 1 multis annis ante libros V 2—VII conscriptos esse censuit. Et Niebuhrii et Nitschii sententiam probantes[6]) Hellenica tres in partes dividenda esse hodie plerique viri docti consentiunt: dico

primam partem libros I–II
alteram partem libros III—V 1
tertiam partem libros V 2—VII complectentem.

---

1) E. Schwartz, Rh. M. 44 (1889) 180 sq.
2) E. Meyer, Gesch. d. Altertums III 2, 281.
3) A. Rapaport, Xenophontea, Eos XXVII 1924, 19 sq.
4) Rh. M. I. (1827) 196 sq. = Kl. hist. philol. Schriften I (1828) 464 sq.
5) W. Nitsche, Ueber die Abf. v. Xen. Hell. Prgr. Bln. 1871
6) Christ.-Schmid I 6, 502 sq.
Münscher, Xen. gr. röm. Lit. Phil. Suppl. XIII 2 p. 6 adn. 2
Pohlenz, Gr. Lit. p. 102 sq.

Prioribus duobus Hellenicorum libris, quibus postremi belli Peloponnesiaci anni 411—403 describuntur, Xenophontem Thucydidis historiam ad finem perducere voluisse iam veteres[1]) cognoverunt. Sed non solum quae in Thucydidis narratione sub finem operis inchoata atque abrupta videntur esse, Xenophon excepit et explevit, verum etiam in historiarum componendarum ratione, quod neminem fugere potest, ad Thucydidem se applicavit.[2]) Priorem enim partem annalium in modum composuit fine uniuscuiusque anni notato, quin etiam ut fert Thucydidis ratio in temporibus definiendis ad res Syracusanorum spectavit. Sed Thucydidis vestigia non servilem in modum pressit, quippe qui singulos annos in aestatem et hiemem distribuerit, qua in re Xenophon Thucydidis exemplum secutus non est. Ceterum in parte priore more usus Thucydideo diligenter atque accurate Xenophon afferre solet, quot milites, quot naves singulis in proeliis in utroque exercitu et Lacedaemoniorum et Atheniensium fuerint, quot homines aut caesi sint aut capti, cum in posteriore ad amissorum numeros aestimandos saepius utatur praepositionibus *ὡς* et *εἰς*, vel verbis *οὐκ ἐλάσσους ἤ, πλείους ἤ, πολλοί, ὀλίγοι.*[3]) Adde, quod Rud. Mueller[4]) argumentis allatis confirmavit, in priore parte verba quibus Xenophon utitur militaria ad Thucydidis accedere dicendi usum, ceteris in libris eadem esse usurpata quae in Xenophontis Cyri institutione scripta videamus. Igitur ad Thucydidis artem scribendi in hac priore Hellenicorum parte Xenophontem se accommodavisse patet. Quam ob causam fieri non potuit quin Thucydidis scribendi atque

---

1) Marcellin, vit. Thucyd. 45.
Dionys. Hal. Ep. ad Cn. Pomp. 4 p. 777.
Diog. Laert. II 57.

2) cf. J. Bruns, Lit. Portr. p. 35 sq.

3) cf. Aemil. H. O. Mueller, de Xenoph. Hist. Graecae parte priore. Diss. Leipzig 1856.

4) cf. Rud. Mueller, Quaestionum Xenoph. capita duo, Diss. Halle 1907.

componendi legibus constrictum se atque pressum esse sentiret. Ita accidit ut narratio Xenophontea prioribus in libris exsanguis fere et arida esse videatur. Permultas enim earum rerum quae ei narrandae erant, cum ipse non vidisset, auditione et fama accepta ei referenda erant. Eandem ob causam cum in omnibus Hellenicorum partibus tum in priore multa desiderantur, quae commemoratione digna erant utpote de quibus Xenophon parum vel omnino non certior sit factus, eis contra, quae traditae sunt, rebus non numquam artus atque perspicuus conexus deesse videtur. Quantum autem vigoris est in illis locis, ubi quibus ipse interfuit res sermone altius exsurgente a Xenophonte ante oculos legentium dilucide ponuntur! Quibus ex locis, ubi Xenophon illa aetate usque ad annum 401 versatus sit, quibus rebus in bello gestis ipse interfuerit, Nitsche [1]) subtiliter collegit.

II 3, 10 annis belli numeratis et nominibus ephororum allatis Xenophon historiam belli Peloponnesiaci, quam Thucydides ad finem perducere praematura morte absumptus prohibitus erat, conclusam atque definitam esse luculenter significavit.

Quibus rebus pertractatis aptissimum quasi epilogum narrationem de triginta tyrannorum dominatione et rei publicae libertate ab Atheniensibus recuperata Xenophon addidit. Sed quaestio exoritur, triginta tyrannorum historia utrum priori an alteri Hellenicorum parti attribuenda sit. Qua in Hellenicorum parte Xenophon profecto quibus ipse interfuit res narrat neque Thucydidis dicendi legibus obstrictum se neque impeditum ratus ab illa primae partis oratione exili atque ieiuna quam maxime differt. Sed quid mirum? Eodem enim modo atque in prima parte res quae narrantur ad Atheniensium pertinent rem publicam, cum alteram Hellenicorum partem Xenophon quasi sit vir vere Lacedaemonius conscripserit.

---

1) Nitsche, p. 28 sq.

Altera vero in parte (III 1 — V 1) Xenophon annorum seriem non servat, sed res compluribus annis in eadem regione gestas uno tenore persequitur. Narravit autem hac in parte res in Graecia usque ad pacem quae Antalcidae dicitur gestas eo sane consilio ut cum Spartanorum tum regis Agesilai, quo neminem magis admirabatur, laudes celebraret: quam ob causam mirus quidam est consensus huius Hellenicorum partis atque Xenophontis quod fertur encomii Agesilai [1]). Qua in media parte hic illic et minutissimae res copiose exponuntur, ut in pusillis ac minimis rebus occupatus paene obliviscaris historiam Graecam te in manibus habere, cum de singulis quibusdam rebus eisque gravissimis, sicuti de Lacedaemoniorum clade apud Cnidum accepta, scriptor omnino fere taceat

Res vero ab Antalcidae pace usque ad pugnam apud Mantineam commissam gestas Xenophon in tertia Hellenicorum parte temporum ordine rursus servato narrat, sed fine singulorum annorum non notato. Quam partem cum scriberet Xenophontem benigno fuisse erga Athenienses animo atque adeo in foedere Lacaedemoniorum cum Atheniensibus faciendo omnem spem collocasse apparet. VII 5, 26 sq. epilogo addito semet ipsum pugna Mantineensi narrata Hellenica conclusisse atque definivisse significat. Qua in tertia Hellenicorum parte sobriam atque siccam plerumque deprehendis narrandi rationem.

Historia Graeca Xenophontis quomodo orta sit, magnam esse virorum doctorum dissensionem supra dixi. Quamquam his diebus omnes fere viri docti Xenophontem Thucydidis exemplo institutoque commotum a prima Hellenicorum parte initium scribendi cepisse existimant. Quae opinio dicendi genere trium illarum partium Hellenicorum quam diligentissime accuratissimeque compa-

---

1) cf. Christ-Schmid I 6 p. 506. J. Bruns, p. 127. Stemplinger, Plagiat p. 191. Münscher, Philol. Suppl. XIII 2 p. 13 sq. 32.

rato comprobari potest.[1]) Itaque primam Hellenicorum partem compositam existimant, postquam Xenophon anno 394 cum Agesilao in Europam rediisset; atque cum post pugnam Coronensem cum rege Agesilao saucio Spartam profectus ibique per aliquot annos usque ad a. 390, quo anno Agesilaus cum exercitu Corinthum profectus est,[2]) commoratus esse videatur, ut uxorem filiosque eo arcessere posset, hanc primam Hellenicorum partem ipsa in urbe Sparta scriptam esse coniecerunt[3]). Utrum hanc primam partem confectam statim seorsum aut postea cum altera parte coniunctam ediderit, non satis liquet.[4]) Eiusdem primae partis exordium periisse multi viri docti censent.[5])

Altera vero Hellenicorum pars Scilunte anno 384/3 conscripta esse videtur. Notum est Xenophontem hac in media Hellenicorum parte Atheniensium dominationi maledicentem Lacedaemoniorum principatum praedicavisse. Verbis his V 1, 36 laudem Lacedaemoniorum ad finem perduxit: *ἐν δὲ τῷ πολέμῳ μᾶλλον ἀντιρρόπως τοῖς ἐναντίοις πράττοντες οἱ Λακεδαιμόνιοι πολὺ ἐπικυδέστεροι ἐγένοντο ἐκ τῆς Ἀνταλκίδου εἰρήνης καλουμένης.* Isocrates autem in Panegyrico hanc Xenophontis opinionem impugnavisse videtur, cum Athenienses defenderet calamitatibus, quas Graeci oligarchiis a Lacedaemoniis passim in civitatibus Graecis institutis accepissent, descriptis.[6]) Atque certum est, verba illa Isocratis in Panegyrico de potestate Persarum dicentis *εἰ δὲ τοῦτο μὲν μὴ γέγονεν, ἀντιπάλων δ' ὄντων ἡμῶν καὶ Λακεδαιμονίων προσθέμενος τοῖς ἑτέροις ἐπικυδέστερα τὰ πράγματα θάτερ' ἐποίησεν, οὐδέν ἐστι τοῦτο σημεῖον τῆς ἐκείνου ῥώμης*[7]) spectare ad ipsa illa

[1]) cf. Münscher, Philol. Suppl. XIII 2 p. 6 adn. 2.
[2]) Hell. IV 4, 19. [3]) cf. Roquette de Xen. vita, Diss. Königsberg 1884 p. 56. Münscher p. 6 adn. 2.
[4]) cf. Münscher p. 6 adn. 2. [5]) cf. G. Engel, de antiquorum epicorum didacticorum histor. prooemiis, Diss. Marburg 1910, 43 sq. [6]) Isocr. IV 100—114. [7]) Isocr. IV 139.

verba Xenophontis Hell. V 1, 36, neque casui tribuendum est, quod Isocrates eodem illo perraro atque poetico verbo *ἐπικυδέστερος* usus est.[1]) Itaque ex Isocratis Panegyrico alteram Hellenicorum partem ante a. 380 editam esse[2]) intellegimus.

Alteram vero cum primae Hellenicorum parti adiungeret, Xenophon mentionem fecit Themistogenis Anabasis.[3]) Quo loco Xenophontem suam ipsius quam composuit de Cyri expeditione narrationem Themistogeni tribuisse his diebus inter omnes constat. Unde Xenophontem Anabasim primo ante alteram Hellenicorum partem conscripsisse apparet. Postea vero alteram Anabasis editionem confecit, scilicet Anabasim, quam in codicibus legimus.[4]) Xenophontem igitur Cyri expeditionem eo consilio in Hellenicis non enaravisse, ne quae in Anabasi rettulisset, repeteret, consentaneum est.

Restat ut de tempore quo tertia Hellenicorum pars conscripta sit breviter disseramus. Cum verbis illis *οὐδὲν πλέον ἔχοντες ἐφάνησαν* (ii, qui apud Mantineam dimicaverant) *ἢ πρὶν τὴν μάχην γενέσθαι*[5]) de rebus quae pugna Mantineensi commissa inde ab anno 362.

---

1) cf. Rauschenstein-Münscher, Ausgewählte Reden d. Isocrates, Berlin 1908/6 p. 105. Münscher, P. W. IX 2185 sq.

2) cf. Münscher, Philol. Suppl. XIII 2 p. 6 sq., p. 8 adn. 1

3) Hell. III 1, 1—2.

4) cf. Münscher, Philol. Suppl. XIII 2 p. 15 adn. 2. de hac re nuper disputaverunt A. Kappelmacher, Wiener Akad. Sitzungsber. phil.-hist. Kl. 1923 (IX=XI) p. 15 sq. et Jos. Mesk, Wiener Studien 43. Bd. Jahrg. 22/23 2. Heft, Wien 1924 p. 136 sq. Kappelmacher Anabasim annis 390 — 87/86 compositam esse demonstrare conatus est. Mesk vero hac opinione refutata Anabasim circa annum 370 conscriptam esse affirmat. Uterque mihi erravisse videtur, cum Anabasim bis editam esse censeam. Uterque vero quasi recte iudicavit, cum argumentis, quibus Kappelmacher usus est, primam Anabasim, quam Xenophon in Hellenicis Themistogeni tribuit, annis 390 — 87/86 conscriptam esse, iis vero, quos Mesk adhibuit, alteram editionem circa annum 370 factam esse comprobari possit.

5) Hell. VII 5, 27.

factae sunt, iudicium ferat, bellum quod dicitur sociorum ei notum fuisse verisimile est. Quin etiam nece Alexandri Pheraei commemorata [1]) haec Historiae Graecae ultima pars ante annum 357 scripta esse non potest, cum Diodoro teste [2]) Alexander anno 358/57 trucidatus sit.

Sed quo tempore singulas Hellenicorum partes Xenophon composuerit, quaerentibus nobis, non neglegenda puto, quae Pohlenz [3]) nuper de hac re scripsit. Qui Scillunte cum commoraretur, Xenophontem a prima Anabasi sui purgandi causa initium scribendi cepisse arbitratur. Deinde Xenophontem de Agesilai expeditionibus quibus ipse interfuisset narravisse, itaque alteram Hellenicorum partem ante primam conscripsisse existimat.

Quae sententia mihi quam maxime videtur probanda. Xenophontem enim non Thucydidis exemplo commotum sed veteranus cum esset bellator militumque dux eo consilio ad scribendum se contulisse probabilissimum puto, ut memoriam eorum, quae ipse vidisset atque expertus esset, repraesentaret et retineret. Quam ob causam verisimile esse non arbitror, eum illam materiam in primis tractare coepisse, quae prima Hellenicorum parte continetur. Hoc quidem molestum erat Xenophonti opus! Veri similius est eum a sua ipsius recordatione et memoria initium fecisse, id est ab expeditionibus illis vel Cyri vel Agesilai. Quin etiam opinari licet ab Agesilao ipso iussum, cuius res quibus de patria praeclare se meritum esse arbitraretur, laudari et celebrari permultum profecto intererat, Xenophontem, postquam Anabasim composuit, ab altera Hellenicorum parte initium fecisse. Quam ob causam pauca ei de iis quae Thibro Dercylidasque duces Lacedaemonii in Asia gesserint, quasi prooemium praemit-

1) Hell. VII 4, 37. 2) Diod. XVI 14, 1.
3) cf. Pohlenz, gr. Lit. p. 102 sq.

tenda erant. Neque haec narrare ei molestias parabat, cum ipse sub Thibronis Dercylidaeque signis militavisset.

Postea voro primam Hellenicorum partem Xenophon conscripsisse videtur, praeclarum qui antea scripserat auctorem respiciens, id quod omnino veteribus rerum scriptoribus in usu erat, [1]) ne deessent quae gesta erant inde ab exitu narrationis Thucydideae usque ad initium eorum, quae Xenophon ipse iam composuerat.

Atque cum hanc Hellenicorum primam partem supplementum, ut ita dicam. Thucydidis ipse existimaret, sine ullo prooemio verbis *μετὰ δὲ ταῦτα* Thucydidis opus atque ea, quae ipse scripturus erat. quasi coagmentavit. Eandem ob causam Tucydidis artem scribendi hac in parte quam diligentissime aemulatus est: II 3, 10 vero, ubi eo pervenit, quo ni fallimur, Thucydides opus perducere sibi proposuerat, subsistit neque Thucydidis scribendi legibus impeditus II 3, 56 primum ipse, quid memoria dignum esse censeat, explicat.

Quod vero primae Hellenicorum partis, etiam si post alteram Scillunte eam scriptam esse existimamus, genus dicendi non plane idem est atque duarum illarum partium antea scriptarum mirum vix videtur, nempe Thucydidem imitatur.

Quo modo primam Hellenicorum partem post alteram scriptam esse opinari licet, quamquam certi quicquam de hac re contendere vix licet.

---

[1]) Herodotus qui ab extrema antiquitate res Graecorum Persarumque repetivit, quoniam bella Persarum usque ad Sestum a. 479 occupatam narravit, Thucydides ut eius Historiarum libros suppleret, ea quae inde usque ad societatem quae dicitur Atticam priorem anno 478 factam gesta sunt I 89—96 et *πεντήκοντα* qui dicuntur annos I 97—118 narravit. Thucydidis vero de bello Peloponnesiaco narrationem ad finem perduxerunt Xenophon, Theopompus, Cratippus. — Posterioribus temporibus Plinius res Romanas scripsit a fine Aufidii Bassi. Cum Xenophonte autem praecipue comparandus videtur Hirtius, qui Caesaris commentarios de Bello Gallico ad finem perduxit.

I.

De orationibus a Xenophonte Hellenicis insertis.

§ 1.

De prima Hellenicorum parte (I—II).

Iam ad orationes, quas Xenophon Hellenicis inseruit, accedamus atque ordiamur, si placet, a prima Hellenicorum parte.

Prioribus duobus libris Xenophon, ut Thucydidis historiam ad finem perduceret, quae postremis belli Peloponnesiaci annis gesta sunt, narravit. Athenienses postquam consilio auxilioque Alcibiadis admodum adiuti apud Abydum [1]) et apud Cyzicum prospera fortuna usi sunt, urbes Propontidi adiacentes, quae ad Lacedaemonios defecerant, oppugnabant. Tum Alcibiades,[2]) qui rebus Atheniensium bene gestis cum civibus in gratiam redierat atque se ducem creatum esse audiverat, Athenas reversus anno 407 summum imperium accepit. Sed Athenienses cum ad Notium victi cladem non, uti par erat, Antiocho,[3]) duci navali Alcibiadis, sed Alcibiadi ipsi crimini darent, eodem anno ei imperium paulo ante delatum abrogaverunt.[4]) Iidem postquam ad Arginusas

1) cf. Busolt, gr. Gesch. III 2 p. 1521 sq. et 695 adn. 2:
proelium Abydenum. — ineunte mense Nov. 411,
proelium Cyzicenum — mense Martio 410.
Beloch, gr. Gesch. II 2[2] p. 241 sq. 245:
proelium Abydenum — ineunte hieme 412/11
proelium Cyzicenum — vere vel ineunte aestate 412/11.

2) Alcibiades quo anno Athenas reverterit, magna inter viros doctos dissensio est. cf. Busolt p. 1562 — anno 408, Beloch, p. 250 — anno 407.

3) Antiochus, dux navalis Alcibiadis apud Notium a Lysandro pellitur anno 407 (Hell. I 5, 11 sq.) cf. de Antiocho: Kirchner, Prosopographia Attica I p. 80 (1153) et Kirchner, P. W. I (2449) 7.

4) quomodo imperium Alcibiadi abrogatum sit cf. Beloch, gr. Gesch. II 2[2] p. 250 sq.

anno 406 secundum quidem proelium fecerunt, clade ad Aegospotamos accepta ita afflicti et defatigati sunt, ut a Pausania, rege Lacedaemoniorum, et Lysandro, eorum duce, terra marique diu obsessi atque fame cruciati anno 404 his condicionibus pacem acciperent: ut praeter duodecim nullas haberent naves longas, exsules revocarent, rescinderent muros longos, Lacedaemoniis omnium Graecarum civitatum imperium traderent.

Quibus rebus narratis Xenophon altero in libro exeunte triginta tyrannorum dominationem [1]) et rei publicae Atheniensium restitutionem exponit.

Hac in prima parte Xenophontis oratio modo ieiunis est atque exilis, modo expedite et facile currit. Variam hanc narrandi rationem e varia rerum qua Xenophon utebatur cognitione ortam esse Nitsche [2]) satis luculenter probavit. Qui scriptorem ubicumque res gestas copiosius et concitatius exponit, ipsum eis interfuisse recte suspicatus esse videtur. Vix enim dubitari potest, quin Xenophon ipse in Piraeo Alcibiadem redeuntem exspectaverit, [3]) ipse illi iudicio interfuerit, quo praetores Atheniensium, qui ad Arginusas pugnaverant, capitis damnati sunt (I 7), ipse in urbe fuerit, cum Athenienses de clade apud Aegospotamos accepta certiores fierent, [4]) atque cum plebs fracta ac debilitata Theramenis reditum exspectaret, ut pacem conciliaret, Spartam missi.[5]) Quas res Xenophon nisi ipse iis interfuisset, sine dubio eadem brevitate atque ariditate usus narrasset atque ceteras.[6])

Quae cum ita sint haud mirum est, quod scriptor orationes iis praecipue locis narrationi inseruit, quibus

---

[1]) de trigenta tyrannorum dominatione cf. Busolt, gr. Gesch. III 2 p. 1456 sq. — Beloch, gr. Gesch. II 1² p. 430 sq.
[2]) cf. Nitsche p. 28 sq. [3]) Hell. I 4, 13 sq. [4]) Hell. II 2, 3 sq.
[5]) Hell. II 2, 20 sq. [6]) de Xenophontis vita cf. Münscher Philol. Suppl. XIII 2 p. 2 adn. 4, quo loco alii libri de hac re conscripti enumerati sunt. Quibus addo Beloch gr. Gesch. II 2 p. 20 sq.

ipse delectatur atque animo movetur. Exempli causa affero orationes, quas Hell. I 6, 5 et I 6, 9–11 Callicratidem [1]) habentem facit. Quem Lacedaemoniorum ducem Xenophon tantopere admiratus est, ut quamquam verba eius ipse non audiverat, tamen eum dicentem induceret, atque verba ei tribueret, quae ab eo facta esse posse existimaret. Hell. I 6, 5 militibus Lacedaemoniorum convocatis Callicratidas se nihil aliud agere affirmat nisi ut officio satisfaciat.

Idem dicit ineunte oratione apud Milesios habita Hell. I 6, 9–11, in qua praeterea numquam se passurum esse pollicetur libertatem Graecorum a Persis subrui atque temptari.

Neque minus singulae illae voces, quarum Xenophon I 6, 14. 15. 32 [2]) mentionem fecit, congruunt cum iis, quae eum egisse audimus: Vir fortis ac prudens fuit, admiratione dignissimus, vir vere Lacedaemonius. Sane haud scio an Xenophon postremo illi proelio navali, quo Callicratidas mortem pro patria occubuit, eques interfuerit, cum equites Atheniensium huic proelio interfuisse commemoret pugnamque quam accuratissime legentibus ante oculos ponat.[3])

Magni denique momenti sunt illa verba, quibus I 6, 7 Callicratidas *ἂν σωθῇ οἴκαδε* se id spectaturum esse exponit, ut inter Lacedaemonios atque Athenienses pax fiat; haec enim tertiae Hellenicorum partis praecipua ratio est.

Admiratio, qua adductus Xenophon Callicratidam,

---

1) de Callicratide cf. Lenschau, P. W. X (1641) 1.
2) ad. I 6, 15 *Κόνωνι δὲ εἶπεν ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν θάλασσαν*, Gautier, la langue de Xénophon, Diss. Genf 1911 p. 26: Tandis que *μοιχεύειν* est attique, *μοιχᾶν* est dorien .. Là encore, malgré le style indirect, Xénophon a tenu à donner les termes mêmes de ce très spartiate apophtegme. ad I 6, 32, cf. Gautier p. 32. Callicratidis verba ante pugnam apud Arginusas factam Cicero quoque commemorat off. I 84. Quae verba multum discrepare a Hell. I 6, 32 Münscher iam exposuit p. 77. 3) cf. E. Schwartz, p. 164 sq.

quamquam eum non ipse audivit, loquentem inducit, valde differt ab eo modo, quo Alcibiadem dicentem fingit. Nam quamquam nomen Alcibiadis, quo nemo Atheniensium illis temporibus maiore auctoritate fruebatur, in ore atque sermone esset omnium, ut Aristophanes Ran. 1422 Dionyso haec verba tribueret:

πρῶτον μὲν οὖν περὶ Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχετον
γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ,
ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν.

Xenophon tamen uno loco [1]) eum suis ipsius verbis dicentem facit et unam proferentem sententiam. Atque etsi ipse Alcibiadem Athenas revertentem vidit atque orationes, quibus ille in senatu atque contione se defendit, eius ipsius verbis referre potuit, ex his orationibus ne unum quidem verbum operi suo inseruit. At certe Alcibiadis admiratus est ingenium, cui ne Periclem quidem parem fuisse eo sermone demonstrat, quem Mem. I 2, 40 sq. ab Alcibiade et Pericle, tutore eius habitum esse narrat. Eodem vero in dialogo Alcibiadem non admiratione vitae morumque Socratis, sed ambitione commotum ad Socratem se applicavisse docet. Itaque mirum non est, quod Xenophon Socraticus, etiamsi Alcibiadis indolem magni aestimabat, ab omni eius cultu atque honore abstinuit neque adduci potuit, ut sermones aut orationes eius Hellenicis insereret. Quin etiam mortem eius silentio praeterit.

Praeterea multa eorum quae apud senatum populumque Alcibiades eiusque accusatores et defensores proferre poterant, ipsis Atheniensibus in portu redeuntem exspectantibus tribuit.[2])

Adde quod Thucydides Alcibiadem duas orationes habentem induxit: postquam Nicias VI 12, 2 Alcibiadem vehementius insecutus est, hic VI 16—18 se ipse defendit. VI 89—92 Alcibiades se Lacedaemoniis purgat. Quam ob rem Xenophon Alcibiadi nullam orationem tribuisse videtur.

---

1) Hell. I 1, 14. 2) Hell. I 4, 13 sq.

Hell. I 3, 19 Xenophon Anaxilaum Byzantium [1]) Spartae causam dixisse narrat. Sed hunc hominem non tam insignem existimavisse videtur, ut suis ipsius verbis loquentem induceret.

Xenophon vero quamquam Syracusanorum imperatoribus exsilio affectis duce Hermocrate [2]) iniqua iudicia publice conquerentibus sane non adfuit, huius contionis tamen I 1, 27 mentionem facit atque etiam sententias quasdam ex eorum orationibus refert. Hermocratis vero imprimis admiratione impulsum eum hanc historiae partem scripsisse ex I 1, 30 apparet, quo loco, quomodo milites de ducum dimissione quererentur et curam, virtutem, comitatem cum omnium imperatorum tum Hermocratis laudarent, exposuit.

Thrasyllo, cuius expeditioni eum ipsum interfuisse constat,[3]) nullam orationem Xenophon tribuit, cum nulla fere occasio orationis inserendae sibi daretur.

Cyri vero admiratione permotus et illam sententiam qua rex Persarum per litteras signo suo consignatas *Κῦρον κάρανον τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων* declaravit [4]) et illud Lysandri de militum mercede augenda [5]) eorum ipsorum verbis perscripsit.

Praecipue autem illud iudicium Xenophontis adulescentis commovit animum, quo duces post pugnam apud Arginusas commissam [6]) capitis damnati sunt. Quam ob causam hoc primum loco satis longam orationem huic primae Hellenicorum parti inseruit. In pugna ad insulas illas anno 406 feliciter commissa [7]) quinque

---

1) de Anaxilao cf. Judeich, P. W. I (2084) 4.

2) de Hermocrate cf. Lenschau, P. W. VIII (883) I.

3) cf. E. Schwartz p. 164 sq. 4) Hell. I 4, 3. ad verbum *κάρανον* cf. Gautier p. 28 sq. 5) Hell. I 5, 6.

6) de pugna apud insulas illas commissa cf. Beloch, gr. Gesch. II 1 p. 419 sq. Beloch att. Pol. p. 87 sq. Ed. Meyer gr. Gesch. IV 644 sq. 7) Hell. I 6, 33 sq.

et viginti [1]) Atheniensium naves depressae sunt, quarum milites, cum alto in mari pugnavissent, fluctibus hauriebantur. Theramenes et Thrasybulus a praetoribus navalibus ut iis, qui naufragium fecissent, subvenirent, missi procella imperatum facere prohibiti sunt.[2]) Quo facto praetores litteras ad senatum populumque miserunt, quibus propter tempestatem nullo modo fieri potuisse exposuerant, ut naufragi milites servarentur.[3]) Athenis vero cum fama naufragos non nisi praetorum neglegentia periisse percrebruisset, imperium iis abrogatum est.[4]) Quam ob causam Protomachus et Aristogenes ut graviorem poenam effugerent sua sponte in exsilium sunt profecti.[5]) Ceteri autem Athenas reversi in ius vocati sunt. Atque Erasinides primus peculatus atque administrationis neglectae accusatus in carcerem coniectus est.[6]) Ceteri apud senatum de proelio navali rationem reddiderunt. Sed naufragorum servandorum ad Theramenem eiusque socium mandata *φιλανθρωπίας ἕνεκα* [7]) silentio praeterierunt. Timocrate vero auctore, quia officio erga naufragos defuissent, in vincula coniecti et in populi iudicium deducti sunt.[8]) Contione convocata Theramenes imprimis praetores accusavit dicens *δικαίους εἶναι λόγον ὑποσχεῖν διότι οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ναυαγούς.*[9]) Praetores vero sui purgandi causa multa verba faciunt de proelio navali. Qui quamquam Theramenem atque Thrasybulum, quibus ut naufragos servarent, mandavissent, omnis culpae coarguerunt, tamen eos excusaverunt, quod saeviore tempestate orta impediti essent quominus imperata facerent.[10])

---

1) quinque et viginti naves depressae sunt. cf. Hell. I 6, 34. Ex viginti quinque navibus, quas ipsis cum hominibus amissas esse hoc loco dictum est duodecim pugna finita nondum prorsus submersae erant. Quae duodecim naves, cum propter tempestatem servari non potuissent, denique ipsae quoque submersae sunt, quam ob causam Xenophon I 7, 30 duodecim naves amissas esse Euryptolemum dicentem fecit.

2) Hell. I 6. 35. 3) Hell. I 7, 4. 4) Hell. I 7, 1.
5) Hell. I 7, 1. 6) Hell. I 7, 2. 7) Hell. I 7, 18.
8) Hell. I 7, 4. 9) Hell. I 7, 4. 10) Hell. I 7, 5-6.

Animos audientium sibi conciliaverant neqne quisquam dubitabat, quin absolverentur. Iam multitudinis suffragiis absolutio permissa erat, *ἔδοξε δὲ ἀναβαλέσθαι εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν, τότε γὰρ ὀψὲ ἦν καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων.*[1]) Interea Apaturia[2]) celebrantur, quo die festo Theramenes animos civium adeo excitat, ut Callixinus praetores in senatu iterum vehementissime accuset.[3]) Consilio deinde convocato patres absolutionem vel damnationem iterum multitudinis suffragiis permittere constituunt, sed ita ut fieri non possit, quin accusati damnentur. Euryptolemus frustra plebi insanae obloqui conatur, Socrates[4]) solus resistere audet. Euryptolemus,[5]) Pisianactis filius,[6]) propinquitate coniunctus cum Alcibiade[7]) atque Pericle Minore,[8]) Alcibiade familiarissime usus esse videtur cum inter eos, qui anno 408 Alcibiadem Athenas revertentem exspectabant, a Xenophonte nominatus sit.[9]) In iudicio optime eum de praetoribus meruisse ex eo apparet, quod Xenophon eum defendendi causa longam illam orationem I 7, 16—33 habentem facit. Cuius exordium ita institutum est, ut Euryptolemus quo consilio processerit, dicat, id est

1) ut accuset 2) ut defendat 3) ut suadeat.

In oratione ipsa hunc sententiarum ordinem ita mutat, ut incipiat ab accusatione et praetorum § 17 et Theramenis § 18, deinceps quomodo praetores iudicari possint, demonstret et[10]) cives admoneat, ut *τὸ δίκαιον*

---

1) Hell. I 7, 7. 2) de diebus festis quae vocabantur *Ἀπατούρια* cf. Toepfer, P.W. I (2672) 2. 3) Hell. I 7, 8.
4) cf. Xen. Hell. I 7, 15. mem. I 1, 18. Quod mem. IV 4, 2 Socrates *ἐπιστάτης ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* dicitur et novem praetores damnati numerantur, Xenophontem in errore versari veri simile est. cf. Plat. Apol. 32 b. Aristot. Athen. Rep. 34. Quod vero A. Rapaport (S. 19 sq.) Xenophontem Mem. I 1, 18 Platonem corrigere studuisse putat, cum in libro IV 4, 2 sq. locum turpiter interpolatum et e Platonis Apologia compositum esse existimet, eum non recte iudicasse dicas. 5) de Euryptolemo cf. Swoboda, P. W. VI (1845) 4. 6) Hell. I 4, 19. 7, 12. 7) Hell. I 4, 19.
8) Hell. I 7, 16. 21. 9) Hell. I 4, 19. 10) Hell. I 7, 19—29.

καὶ ὅσιον[1]) observent et causam iudicent vel ea lege quae *Καννωνοῦ ψήφισμα* dicatur[2]) vel ea lege, qua *ἱερόσυλοι* et *προδόται* damnentur.[3]) Utique ut salvis legibus ius dicant, eos adhortatur, praesertim cum rei pro ipsis iudicibus pugnavissent et vicissent.[4]) Reliqua denique orationis parte praetores eo modo defendit, ut proelium navale copiose exponat.[5]) Simulque eos, qui nescio quo casu servati sunt, testes adhibet.[6]) I 7, 33 in perorando Athenienses admonet ut grato pioque animo victores colant et venerentur.

Haec Euryptolemi oratio et generi deliberativo et iudiciali attribui potest. Xenophon vero quamquam non rhetorum veterum leges de orationibus iudicialibus componendis secutus est, tamen, quae illum dicentem facit, aptissima videntur ad Atheniensium animos commovendos. Euryptolemus enim incipit ab accusatione ut animos civium vehementer excitatos atque saevos sibi conciliet. Re vera praetores haudquaquam accusat, immo quae crimini dari videntur, iis laudi sunt. Humanitate enim permoti[7]) praetores, cum Therameni Thrasybuloque, quibus ut naufragos servarent mandavissent, parcere vellent, hoc mandatum litteris ad senatum populumque missis tacuerant. Ea quae post pugnam commissam facta sunt Euryptolemus cum copiosissime explicat, reos defendit, unde elucet praetores nullo modo officium suum deseruisse. Itaque rationem ab illis non esse repetendam, immo victores afficiendos esse honoribus.

Quod tamen frustra ab Euryptolemo defensi capitis omnes damnati sunt. Therameni crimini tribuendum est, qui, cum non satis haberet praetores iniuste accusare,[8]) civium animos identidem concitavit, ne eos impunitos dimitterent. Eam ob causam Euryptolemus ip-

---

1) Hell. I 7, 19. 2) Hell. I 7, 20—21. 3) Hell. I 7, 22.
4) Hell. I 7, 23—29. 5) Hell. I 7, 29—31. 6) Hell. I 7, 32.
7) Hell. I 7, 18: ἀντὶ τῆς τότε φιλανθρωπίας 8) Hell. I 7, 4.

sum Theramenem I 7, 18 accusat. Sed simul non minus Theramenem quam praetores defendit, qui tempestate orta naufragos e mari tollere non potuissent. *τοσοῦτον δ'ἔχω εἰπεῖν ὑπὲρ ἀμφοτέρων ὅτι ὁ χειμὼν διεκώλυσε μηδὲν πρᾶξαι ὧν οἱ στρατηγοὶ παρεκελεύσαντο.*[1]) Quin etiam peroratione, cum omne discrimen remotum esse videatur, et Theramenem et praetores quasi ab hominibus quibusdam perfidissimis accusatos defendere videtur, quamquam re vera Theramenes ipse nefarius impiusque ille accusator fuit. Accedit quod praetores ipsi Theramenem defendunt dicentes eum tempestate prohibitum mandata persequi non potuisse, quae verba ipsa Xenophon I 7, 6 rettulit. Neque dubitari potest quin Xenophon Therameni parcere voluerit. Eandem ob causam eum Theramenis accusationem, cui eum interfuisse verisimile est, non ad verbum rettulisse existimo. Cum Theramenem reum esse negare non possit, pessimum ut nobis quidem videtur eius facinus operire atque tegere certe studet. Xenophontem vero id egisse ex iis praecipue apparet, quae altero in libro, in quo triginta tyrannorum dominationem proponit, Theramenem dicentem facit.[2])

Si quaerimus, quorsum haec spectet oratio, etiam hoc animadvertendum est: Euryptolemi orationem a Xenophonte ut Socratis discipulo esse conscriptam. Quae oratio Xenophonti plenissimam dat occasionem, proferendi illud Socratis *οὐκ ἀλλ' ἢ κατὰ νόμον πάντα ποιήσειν,*[3]) id quod Euryptolemum alio modo dicentem facit: *ὑμεῖς δὲ κατὰ τὸν νόμον εὐσεβοῦντες καὶ εὐορκοῦντες κρινεῖτε καὶ οὐ συμπολεμήσετε Λακεδαιμονίοις.*[4]) *μὴ ὑμεῖς γε ἀλλ' ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους, δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε, φυλάττοντες, ἄνευ τούτων μηδὲν πράττειν πειρᾶσθε.*[5]) Quod Euryptolemus *δίκαιον* et *νόμιμον* idem esse statuit, illud Socratis reminiscimur *φημὶ γὰρ ἐγὼ τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι.*[6])

1) Hell. I 7, 32. 2) cf. p. 27 sq. huius commentationis. 3) Hell. I 7, 15. 4) Hell. I 7, 25. 5) Hell. I 7, 29. 6) mem. IV 4, 12.

Ex peroratione etiam Xenophontis pium erga deos animum cognoscimus. Numen divinum esse credit, *τοῖς ἐκ θεοῦ ἀναγκαίοις*[1]) homines cedant necesse est. Nam quamquam numero singulari dicit *ἐκ θεοῦ* pro plurali *ἐκ θεῶν*, tamen multitudinem deorum esse credit; modo enim *θεοί* modo *θεός* dicit.[2]) Joël vero Xenophontem numerum siugularem verbi *θεός* non suo arbitrio usum pro plurali posuisse affirmat; immo eum singulariter dicentem fortunam quandam incertam obscuramque significavisse demonstravit.[3])

Oratio vero ut vim habeat, non sententias modo bene excogitatas exhibeat necesse est, sed et verba aptissima et pulchra, quae illas exprimant atque exornent flagitat. Quam ob causam quibus figuris ad ornandam et coloribus quasi pingendam orationem accomodatis Xenophon hac in oratione usus sit quaeramus. Sed cum difficilis sane sit quaestio, qualis fuerit figurarum disciplina Xenophontis temporibus, hic temperare mihi non possum quin paululum a via discedens, quod monuisse non poeniteat, in memoriam revocem.

De figuris quae dixit Quintilianus non spernenda sunt: figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam est orationis remota a communi et primum se offerente ratione.[4]) Atque pergit IX 1, 7: Et propriis verbis et ordine collocatis figura fieri potest. Item Cicero Brut. 69 ornari orationem Graecos putasse docet: si verborum immutationibus utantur quos appellant *τρόπους* et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*.

[1]) Hell. I 7, 33. [2]) cf. Hell. I 6, 11: *σὺν τοῖς θεοῖς κ. τ. λ.* Hell. II 4, 14: *οἱ δὲ θεοί* Hell. III 4, 11: *τοὺς θεούς* Hell. VI 5, 41: *ἐκ θεῶν* Hell. VII 1, 5: *ἀπὸ τῶν θεῶν*

[3]) Carl Joël: der echte und der Xen. Socrates. Blin. 1893 I p. 106 sq. p. 109: „Xenophons *θεός* bedeutet nicht die Einheit der Gottheit, sondern die Unbestimmtheit, wie sie für die ungewisse, namentl. für zukünftige und für allgemeine Fälle am Platze ist.“ V 1, 14: *ἐὰν μέντοι θεὸς ἐθέλῃ.* V 1, 18 *θεὸς ἐθέλει.* VII 4, 9 *πράξειν ὅτι ἂν τῷ θεῷ φίλον ᾖ.*

[4]) Quint. IX 1, 4.

Figurarum autem duo sunt genera: λέξεως, id est verborum, et διανοίας, id est sententiarum.[1]) Sententiarum autem figuras, quibus Lysias et Isocrates[2]) nondum usi sunt, quas Demosthenes demum frequentavit,[3]) cum illas verborum longo demum tempore interiecto secuti sint, hoc loco silentio praetereo.

Verborum vero figuras primus invenisse ex antiquorum consensu Gorgias Leontinus putabatur.[4]) Qui re vera figuras non primus invenit, sed iis est usus intemperantius, ut Ciceronis verbis utar,[5]) neque cum hoc faceret, certi cuiusdam poetae exemplum est secutus, sed figuris illis, quibus Graecorum poetae inde ab Homero fere omnes hic illic satis artificiose erant usi, abundantissime orationes suas exornabat, ut lectorum moveret delectationem.[6]) Figuris ergo ad ornandam orationem immodice usus, novo Atheniensibus ante non audito more locutus atque maximam omnium gloriam hac sua loquendi facultate assecutus est.

Figurae[7]) denique, quae a grammaticis Gorgieae appellantur sunt hae:

ἀντίθετα — contrariis relata contraria
πάρισα — paria paribus adiuncta
παρόμοια — similiter definita.

Quibus de figuris Aristoteles Gorgia non nominato disserit[8]) his verbis: *ἀντικειμένη δὲ ἐν ᾗ ἑκατέρῳ τῷ*

1) Quint IX 1, 17. 2) cf. Volkmann, Die Rhetorik d. Gr. u. Römer. Lpz. 1885² p. 465 sq. Blass, attische Bereds. I² p. 395.
3) cf. Cic. or. 136 sq. 4) de Gorgia cf. E. Wellmann, P. W. VII (1598) sq. 8. 5) cf. Cic. or. 175.
6) cf. Münscher (Rezension von Walther Saupe, „Die Anfangsstadien der gr. Kunstprosa in der Beurteilung Platons") Berl. Phil. Wochenschrift 1917 p. 985 sq.
7) de his figuris ex recentioribus disseruerunt R. Volkmann p. 407 sq. Gustav Dzialas: Rhetorum antiquorum de figuris doctrina. Pars prior. Vratislaviae 1869. Carl Reich: Einfluß der gr. Poesie auf Gorgias, 2 Pogr. Ludwigshafen 1908/9, quarum commentationum altera maximi momenti et ponderis est. W. Barczat, de figurarum disciplina atque auctoribus, Diss. Göttingen 1904.
8) Aristot. rhet. III 9, 1409 b et 1410 a.

κώλῳ ἢ πρὸς ἐναντίῳ ἐναντίον σύγκειται ἢ ταὐτὸ ἐπέζευκται τοῖς ἐναντίοις οἷον κ. τ. λ. — *ὁ γὰρ ἔλεγχος συναγωγὴ τῶν ἀντικειμένων ἐστίν· ἀντίθεσις μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστιν. παρίσωσις δ' ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα, παρομοίωσις* [1]) *δ' ἐὰν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων· ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν.*

Quae nova Gorgiea ars Athenis brevi maxime effloruit, ut rhetorum disciplina qui utebantur, non solum orationes publice habendas, sed omnem orationem solutam artificiose exornare et componere studerent. Xenophontem quoque Gorgiae discipulum fuisse quamquam pro certo affirmare non possumus, cum memoriae proditum non sit, tamen verisimile est. Gorgiae enim dicendi genus secutum eum laudationem illam, quae Agesilaus inscripta est, composuisse pro certo habemus.[2])

Ad Hellenicorum itaque orationes accedamus quaerentes utrum Xenophon his in orationibus Gorgieas quae dicuntur figuras consulto et crebro adhibuerit necne. Age vero ut ad propositum redeamus schemata *ἀντίθετα* sive contraposita et *πάρισα* et *ὁμοιοτέλευτα*, quae sunt in Euryptolemi illa oratione afferamus.

I 7, 16: *τὰ μὲν κατηγορήσων*
τὰ δ' ὑπεραπολογησόμενος
τὰ δὲ συμβουλεύσων.

tria membra sibi opponuntur, quorum primi et tertii exitus similis est. Quae participia ut quibus de rebus potissimum dicturus sit, maiore proferat voce, in initio posuit. *Περικλέους ἀναγκαίου μοι ὄντος*
καὶ ἐπιτηδείου
καὶ Διομέδοντος φίλου.

trium membrorum exitus similes sunt.

---

[1]) illo nomine *παρομοίωσις* ab Aristotele comprehenduntur eae figurae, quae ab aliis scriptoribus rencentioribus Gorgiae tribuuntur: *σχήματα ὁμοιοτέλευτα, παρήχησις, παρονομασία.* cf. Nieschke, de Thucydide Antiphontis discipulo et Homeri imitatore. Prgr. Münden 1885 p. 36 adn. 3.

[2]) cf. Münscher, Philol. Suppl. XIII 2 p. 3 adn. 1.

I 7, 17: ὅτι ἐπέταξαν . . ., οἱ δ' οὐκ ἀνείλοντο, antitheton adiuncta paronomasia.

I 7, 18: εἶτα νῦν τὴν αἰτίαν κοινὴν ἔχουσιν ἐκείνων ἰδίᾳ ἁμαρτόντων, quo loco Xenophon genetivo absoluto omisso facillime contrarium efficere potuit, verbis sic fere compositis εἶτα νῦν τὴν αἰτίαν κοινῇ ἔχουσιν, ἐκεῖνοι δ' ἰδίᾳ ἡμαρτήκασιν.

I 7, 20: ἀδικῇ ἀποδικεῖν ἀδικεῖν paronomasia. Quo loco Xenophon facillime homoeoteleuton efficere potuit, si verborum ordinem mutavisset hoc modo:

ἐάν τις τὸν τῶν 'Αθ. δῆμον ἀδικῇ, δεδεμένον ἐν τῷ δήμῳ ἀποδικεῖν, καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ ἀδικεῖν, ἐμβληθέντα εἰς τὸ βάραθρον ἀποθανεῖν.

I 7, 24: οἱ μὲν ἀδικοῦντες . . οἱ δ' ἀναίτιοι . . antitheton et parison. Sed membrorum exitus similes faciendi occasionem non captavit, quamquam facillime dicere potuit οἱ μὲν ἀδικοῦντες τῆς μεγίστης τιμωρίας τεύξονται, οἱ δ' ἀναίτιοι οὐκ ἀδίκως ἀπολοῦνται ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἐλευθερώσονται. Vel si figuras, quae dicuntur Gorgieae usurpare studuisset, hoc modo dixisset: τούτων δὲ γιγνομένων τεύξονται οἱ μὲν ἀδικοῦντες τῆς μεγίστης τιμωρίας, οἱ δ' οὐκ ἀδικοῦντες τῆς ἐραστῆς ἐλευθερίας ὑφ' ὑμῶν καὶ οὐκ ἀδίκως ἀπολοῦνται.

I 7, 26: . . ἂν κατὰ τὸν νόμον κρίνητε, ἀλλ' οὐκ ἂν παρὰ τὸν νόμον antitheton; μὴ ἀποκτείνητε καὶ ἐλευθερώσετε, ἂν . . . κρίνητε homoeoteleuton.

I 7, 28: εἰ 'Αριστάρχῳ μὲν . . . προὐθετε, τοὺς δὲ στρατηγοὺς . . . ἀποστερήσετε antitheton et homoeoteleuton.
Quo loco si dixisset πρότερον τὸν δῆμον καταλύοντι, εἶτα δ' Οἰνόην Θηβαίοις πολεμίοις οὖσιν προδιδόντι (sic!), homoeoteleuton confecisset. Similiter dicere potuit τοὺς δὲ στρατηγοὺς

τοὺς πάντα ὑμῖν κατὰ γνώμην πράξαντας, τοὺς δὲ πολεμίους νικήσαντας pro νικήσαντας δὲ τοὺς πολεμίους, si orationem omnino figuris, quas Gorgias adhibuit, exornare studuisset.

I 7, 29: ἂν τὰς μὲν αὐτοῦ καταλίπωσι, ταῖς δ' ἐπὶ τοὺς πολεμίους πλέωσι parison et homoeoteleuton. τὰ ναυαγία καὶ τοὺς ναυαγοὺς paronomasià.

I 7, 30: καὶ τὰς τῶν ταξιάρχων δέκα καὶ τὰς Σαμίων δέκα καὶ τὰς τ. ν. τρεῖς polysyndeton. Facillime vero Xenophon membrorum exitus similes reddere potuit, si genetivos in membrorum fine posuisset.

I 7, 31: τὰ μὲν ... τοὺς δὲ ... antitheton et parison. ἱκανῶς καὶ καλῶς quorum verborum coniunctorum exitus idem sunt. Accedit

§ 32 in qua cum Xenophon enuntiatum incipiat a verbis τούτων δὲ μάρτυρες, Gorgias haud scio an collocationem verborum inversurus fuerit, sicut in Epitaphio[1]) scripsit μαρτύρια δὲ τούτων atque in Helenae laudatione[2]) τὰ δὲ ἐναντία τούτων.

I 7, 33: ἀντὶ μὲν ... ἀντὶ δὲ ... anaphora; sententiae vero proferuntur enuntiatis quasi contrariis. εὐτυχίας ... ἀτυχοῦσιν paronomasia. Homoeoteleuton sane facile effici potuit, si ποιήσητε in fine membri posuisset. Quam sententiam si schemata Gorgiea omnino usurpavisset, in hunc fere modum dixisset: μὴ τοίνυν ποιήσητε μὲν νικῶντες τε καὶ εὐτυχοῦντες ὅμοια τοῖς νενικημένοις τε καὶ ἀτυχοῦσιν, δόξητε δὲ ποιήσαντες τὰ ἐκ θεοῦ ἀναγκαῖα γνώμης ἀγνωμονεῖν, προδοσίαν καταγνόντες κ. τ. λ. verbum γεραίρω quod significat idem ac τιμᾶν plerumque apud poetas legimus.[3])

His locis allatis, quibus quidem illas figuras,

---

[1]) cf. Die Fragmente d. Vorsokratiker ed. H. Diels II[4], Berl. 1922 p. 248, 21. [2]) cf. ibid. p. 249, 23. [3]) cf. Gautier p. 175.

quae a rhetoribus Gorgieae dicantur, quamvis non ab ipso Xenophonte consilio atque arte effectas, sed naturali quadam dicendi elegantia ac vivacitate ortas inveniamus, nunc iam afferamus eos locos, quibus deprehendamus eas exornationes, quae postea a rhetoribus figuris adnumeratae sunt, Xenophontis vero aetate hoc nomine carebant. Tribus enim locis interrogatione usus est, ut animos audientium redderet alacriores; dico

§ 25 *τί δὲ καὶ . . . ἐπείγεσθε;* quacum alteram interrogationem coniunxit § 26 *ἢ μὴ . . . ψήφῳ;* et § 31 *τί . . . ἔπραξαν;* Eandem ob causam compluribus locis audientes allocutionibus compellat, dicens

§§ 16, 20, 23, 24, 33 *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*
§ 29 *ὦ Ἀθηναῖοι*
et § 21 Jovem invocat *νὴ Δία*, quo magis Atheniensium animos commoveat.

I 7, 21: *αἰσχρὸν γάρ μοί ἐστιν ἐκεῖνον περὶ πλείονος ποιεῖσθαι ἢ τὴν ὅλην π.* Hoc loco sententia adhibita *ἠθικοὺς ποιεῖ τοὺς λόγους*[1]). Similiter sententia usus est § 25, dicens *ὑμεῖς δὲ κατὰ τὸν νόμον εὐσεβοῦντες καὶ εὐορκοῦντες κρινεῖτε.*

I 7, 19: *κατὰ τοὺς ἀδικοῦντας εἰδότες κολάσεσθε ᾗ ἂν βούλησθε δίκῃ, καὶ ἅμα πάντας καὶ καθ' ἕνα ἕκαστον.*

Verba *καὶ ἅμα πάντας καὶ καθ' ἕνα ἕκαστον* unam fere eandemque rem spectant atque idem fere significant atque *πάντα τρόπον* vel *πάσῃ τέχνῃ καὶ μηχανῇ.*
Quam figuram „polare Ausdrucksweise" appellamus.[2])

Hi sunt loci in Euryptolemi oratione, quibus sche-

---

1) cf. Volkmann p. 452 sq. 2) cf. E. Kemmer, Die polare Ausdrucksweise i. d. griech. Lit. i.: Beiträge z. hist. Syntax, ed. Schanz, Heft 15, Würzburg 03. ad hunc loc. cf. p. 191 sq.

mata quae dicuntur elucere videantur. Quibus ex exemplis satis apparet, Xenophontem illas figuras haud saepe neque de industria consectatum esse. Casui quin etiam plerumque potius quam arti scriptoris hae figurae quotquot exstant, attribuendae videntur; quamquam illam orationem satis artificiose compositam esse nemo negabit.

Iam de illa Hellenicorum parte, qua Xenophonti Thucydidis opus ad finem perducere in animo erat, satis multa mihi dixisse videor.

Progrediamur ad triginta tyrannorum qualem Xenophon proposuit dominationem qui anno 404 imperium Atheniensium in urbe sibi arripuerant, quorum princeps fuit Critias.[1]) Qui summo loco natus quamquam excellebat scientia philosophiae neque minus florebat laude poëtica et facultate dicendi, tamen rei publicae Atheniensium haud exiguo erat damno. Cum Theramene [2]) collega quocum in dominatione triginta tyrannorum initio amicitia coniunctus erat, paulo post tantas gessit inimicitias, ut eum in Atheniensium senatu proditionis accusaret et cum senatus eum absoluturus esse videbatur, calumnia usus ab hominibus armatis ad supplicium abstrahi juberet.

Praeclarissime vero Xenophon et Critiae et Theramenis orationibus et nonnullis singularibus Theramenis sententiis [3]) utriusque naturam et mores legentibus ante oculos posuit. Scilicet Critiam II 3, 24 — 34 Theramenem consilio convocato accusantem induxit.

Prooemio (24—26) pristinum rei publicae statum Atheniensibus incommodum neque Lacedaemoniis gratum fuisse affirmat. Quam ob causam triginta viros

---

1) De Critia cf. Beloch, gr. Gesch. III 1 p. 6 sq. Beloch, att. Pol. p. 93. Wilamowitz, Platon I (Berlin 1919) p. 115 sq.

2) de Theramene cf. Kirchner, Prosopogr. I 464 sq. 72, 34. Busolt, griech. Gesch. III 2 p. 1462 sq.

3) cf. Hell. II 3, 15 Theramenis verba. II 3, 16 Critiae verba. II 3, 19 Theramenis verba. II 3, 22 Theramenis verba.

facere non potuisse quin novas res molirentur. Forma vero rei publicae Atheniensibus mutata, qui novis legibus obstarent, praesertim si quis ipsis e triginta viris dissentiret, interimendos esse.

II 3, 27 verbis *νῦν οὖν αἰσθανόμεθα κ. τ. λ. πρόθεσις* proponitur; in iis vero quae sequuntur narratio atque probatio separatae non sunt, sed cum singulas res narrat, simul argumentatur orator:

1) atque primum quidem Theramenes qua ratione triginta viros prodiderit, ostenditur (27—28). Ut proditio bello ita proditor hoste peior est (29).

2) deinceps Theramenem quippe qui sit *φύσει προδότης* quadringentos viros ita prodidisse contendit, ut cognomen *κόθορνος* ei iure daretur (30). Qua in re Theramenes ipse ut maiore utatur constantia admonetur (31).

3) Cum animo mobili esset, Theramenes morte affecit multos et homines populares et optimates.[1]) Ut hoc confirmet, praetorum navalium, quos Theramenes post pugnam apud Arginusas commissam, accusavit, mentionem facit (32).

Et argumentatio et narratio ad finem perducuntur paragrapho 33 Critia Theramenem accusante huius criminis: *ἡμεῖς οὖν τοῦτον ὑπάγομεν καὶ ὡς ἐπιβουλεύοντα καὶ ὡς προδιδόντα ἡμᾶς τε καὶ ὑμᾶς*, quae verba concinunt cum accusatione § 27 prolata *Θηραμένην . . . ἀπολλύντα ἡμᾶς τε καὶ ὑμᾶς.*

§ 34 demum argumentum *ἐκ τοῦ εἰκότος* postposuit, dicens *ὡς δ'εἰκότα ποιοῦμεν, καὶ τάδ' ἐννοήσατε κ. τ. λ.* Exemplum vero ex Lacedaemoniorum re publica promptum affert.

Cui argumento sequitur peroratio *καὶ ὑμεῖς κ. τ. λ.* qua Critias senatum, ut Theramenem capitis damnent, adhortatur.

[1]) Haec verba II 3, 32 *καὶ εἰσὶ μὲν δήπου πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι* similia sunt iis quae II 3, 24 dicit: *ὅπου πολιτεῖαι μεθίστανται πανταχοῦ ταῦτα (*scil. *πλείους ἀποθνήσκειν) γίγνεται.*

Antequam vero ad Theramenis defensionem accedamus necesse est singulas Critiae orationis partes diligenter intueamur. Ex iis quae supra diximus Xenophontem Critiae orationem quattuor in partes distribuisse apparet: *προοίμιον, διήγησιν, πίστιν, ἐπίλογον*, narratione et probatione non separatis. Quamquam vero easdem in partes Isocratem orationem iudicialem distribuisse scimus, illius tamen praecepta Xenophontem secutum esse sive illum oratorem ipsum sibi imitandum proposuisse, cum non discipulus sed Isocratis aequalis fuerit, verisimile sane non est. Immo antiquissimam orationis divisionem eum adhibuisse consentaneum est, quam Coracem [1]) Tisiamque in lucem edidisse memoriae proditum est: *προοίμιον, διήγησιν, ἀγῶνες = πίστεις, ἐπίλογον*. Quam quadruplicem divisionem Coracem Tisiamque invenisse testatur Doxopater: *τούτων δὲ φασιν εὑρετὴν πρῶτον γενέσθαι τὸν Κόρακα, ἄρτι τὸν δῆμον ἐκ τῆς ἀγρίου τυραννίδος ἐκείνης παραλαβόντα καὶ συγκεχυμένον εὑρόντα, καὶ ἵνα μὲν τὸ θορυβοῦν παύσῃ καὶ πείσῃ προσέχειν, τοὺς τῶν προοιμίων τόπους ἐπινοήσαντα. ἵνα δὲ καὶ περὶ τοῦ πράγματος σαφῶς διδάξῃ, καὶ πιθανῶς καὶ συντόμως τὴν διήγησιν ἐπικατανοήσαντα: ἵνα δὲ καὶ περὶ ὧν βούλεται πείσῃ καὶ ἀποτρέψῃ, τοῖς ἀγῶσι χρησάμενον· ἵνα δὲ καὶ τῶν καιριωτέρων ἀναμνήσῃ, πληρώσῃ δὲ καὶ πάθους τοὺς δικαστὰς ἢ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἐπιλόγους καταστησάμενον* [2]). Ceterum miras illas discrepantias quas rhetores antiqui de Coracis orationum iudicialium dispositione proferunt, iure non curamus.

Accedit quod Xenophon non solum hac orationis

---

[1]) de Corace vide Aulitzky, P. W. XI (1379) 3. Blass I p. 18 sq. Wendland, Anaximenes v. Lampsakos, Blin. 1905 p. 30 sq. Süß: Ethos, Leipzig 1910. p. 2 sq. 112 sq. 136 sq. Navarre, Essai sur la rhét Grecque, p. 9 sq. P. Hamberger, Die redner. Dispositionen i. d. alten *τέχνη ῥητορική*. (Rhetor. Stud. ed. Drerup. 2.Heft, Paderborn 1914), cuius sententiam suo iure improbat Pohlenz, gr. Lit. p. 193.

[2]) Doxopater, *ὁμιλίαι εἰς Ἀφθόνιον*, Walz II. p. 119.

dispositione adhibita Coracis vel Tisiae vestigia secutus videtur esse; Socrates quidem apud Platonem [1]) cum Phaedro de Corace et Tisia disputans omnem illorum artem ἐκ τοῦ εἰκότος ductam esse dicit. Cum enim in causis raro verum certo appareat, ut veritas ipsa per se alterum adiuvet, alterum plane destituat nec dubii quicquam relinquatur iudicibus, plerumque vel semper fere ad probabile istud τὸ εἰκός refugiendum esse illi proclamaverunt. Quid? quod exemplum τοῦ εἰκότος Aristoteles [2]) ex arte Coracis attulit, idem Plato apud Tisiam invenit. Notae sunt Antiphontis tetralogiae ex hoc loco conflatae.[3]) Neque Xenophontem hunc locum neglexisse ex paragrapho 34 Critiae orationis satis apparet. Hactenus de loco τοῦ εἰκότος. [4])

Sequitur ut de Theramenis oratione dicam.[5]) Cui prooemium deest, quia Theramenis verba accusationi Critiae artissime adnexa atque adaptata sunt.

Narrationem vero et probationem et adversarii accusationem Xenophon in unum ita confudit ut tribus Critiae accusationibus, quae pertinebant

1) ad triginta viros
2) ad quadringentos viros
3) ad praetores navales

ordine quidem mutato tres respondeant Theramenis refutationes, qui semetipsum defendit simulque Critiam accusat: Atque primum quidem

1) praetores navales a se iniuste accusatos esse negat (35); quae Critias eodem tempore in Thessalia fecerit vituperat atque obiurgat (36—37).

§ 35 Theramenes τοῦ εἰκότος in memoriam reducit quod ut Athenienses adhiberent, se suasisse affirmat.[6])

---

1) cf. Plat. Phaedr. 273 b.
2) Aristot. Rhet. II 1402 a. I 1372 a 22.
3) cf. Blass I p. 123. 4) cf. Th. Miller: Euripides rhetoricus. Diss. Göttingen 1887 p. 2 sq. 5) Hell. II 3, 34—49.
6) ἔδοξα τῇ πόλει εἰκότα λέγειν.

2) Multis deinceps exemplis enumeratis §§ 37—43 triginta viros a se proditos esse negat, solum Critiae saevitiae se restitisse affirmat. Verbis *οὐχ οἱ ἐχθρούς, ὦ Κριτία, κωλύοντες κ. τ. λ.* Critiam ipsum alloquitur, qui cum vita moribusque eius hostium animi roborentur, atque numerus eorum augeatur, patriae proditor habendus sit. Quam accusationem § 44 argumentis confirmare studet, dicens homines populares, ex re publica expulsos, inimicitia permotos ea quam maxime optare, quae Critia auctore facta sint.

3) Tum quadringentos viros §§ 45—46 a se proditos esse negat. Nihil aliud se spectasse quam ut civium partibus se accomodaret; § 47 vero Critiam iterum alloquitur utpote qui omnibus et popularibus et optimatibus sit inimicissimus.

4) Quodcumque ipse fecisset, id unum se spectavisse ut patriae prodesset (48). § 49 Critiam tertium allocutus postulat ut ille argumentis evincat, Theramenem *σὺν τοῖς δημοτικοῖς ἢ τυραννικοῖς τοὺς καλούς τε κἀγαθοὺς ἀποστερεῖν πολιτείας.* Quod si argumentis comprobari possit, se dignum esse profitetur qui capitis damnetur.

Cum Xenophon propriam perorationem praetermittat, illas ultimas haud scio an paragraphos 48 et 49 pro peroratione haberi liceat, quibus Theramenes quid agat, quid cogitet, comprehendit.

Pro iniquitate vero temporum Xenophon Theramenem tam commotissimum animo loquentem fecit ut recordemur de verbis, quae Philostratus[1]) de Critia scripsit, *ὁρῶ τὸν ἄνδρα . . . δεινῶς καθαπτόμενον ἐν ἀπολογίας ἤθει.*

Iam vero perscrutemur, quibus figuris in Critiae et Theramenis orationibus, quae generis sunt iudicialis, Xenophon usus sit. Ac primum quidem afferamus schemata, quae in Critiae oratione inveniuntur.

---

[1]) Philostr. V. Soph. ed. Kayser II 19, 17.

II 3, 24: *ὅπου πολιτεῖαι μεθίστανται, πανταχοῦ ταῦτα γίγνεται* parison et homoeoteleuton.

II 3, 25: *γνόντες μὲν . . . γνόντες δὲ* anaphora. *ὁ μὲν δῆμος . . . οἱ δὲ βέλτιστοι* antitheton.

II 3, 27: *εἰ μὲν . . .*

II 3, 28: *νῦν δὲ* antitheton, cuius figurae altera pars anaphoram continet: *αὐτὸς μὲν . . . αὐτὸς δὲ . . .* Ultimis vero in verbis huius sententiae iterum contraposita usurpavit, dicens *αὐτὸς μὲν . . . ἡμεῖς δὲ . . .*

II 3, 29: *τοσούτῳ μὲν . . τοσούτῳ δ᾽ . .* anaphora, *τὸ ἀφανὲς τοῦ φανεροῦ* paronomasia, *σπένδονται . . . γίγνονται* homoeoteleuton, *τούτῳ οὔτε ἐσπείσατο πώποτε οὐδεὶς οὔτ᾽ ἐπίστευσε τοῦ λοιποῦ . . .* compar (Cornif. rhet. 4, 27).

II 3, 30: *ἐξ ἀρχῆς μὲν . . . ἐπεὶ δ᾽ ᾔσθετο* antitheton et parison.

II 3, 31: *οὐ προάγειν μὲν . . ἂν δέ τι ἀντικόπτῃ . .* antitheton. Quo loco Xenophon ad rem illustrandam imaginem addit, homine cum nauta comparato; utrique enim ita perseverandum est ut coepit, *ἕως ἂν εἰς οὖρον καταστῶσιν.* Quam similitudinem ut persequatur, etiam verba, quibus utitur, similia Xenophon reddidit: *ἂν δέ τι <u>ἀντικόπτῃ</u>, <u>εὐθὺς</u> μεταβάλλεσθαι, . . . εἰ ἐπειδάν τι <u>ἀντικόψῃ</u>, <u>εὐθὺς</u> εἰς τἀναντία πλέοιεν.* Altera vero huius sententiae pars est erotema.

II 3, 32: *καὶ εἰσὶ μὲν . . . σὺ δὲ . . .* antitheton; atque alteri membrorum anaphoram inseruit:
πλείστοις μὲν κ. τ. λ. πλείστοις δ᾽ . . .
ταχθεὶς ἀνελέσθαι . . . οὐκ ἀνελόμενος paronomasia.

II 3, 33: *τοῦ μὲν πλεονεκτεῖν . . τοῦ δὲ καλοῦ κ. τ. λ.* antitheton et parison et homoeoteleuton. *πῶς . . . φείσασθαι; πῶς . . . ποιῆσαι;* quo loco duae interrogationes eodem pronomine interrogativo inducuntur atque similiter desinunt.

II 3, 34: *οὐκ . . . ἀξιωθῆναι;* erotema. *σωθεὶς μὲν . . . . ἀπολόμενος δὲ . . . .* antitheton et parison.

Et § 29 et § 31 sententiam inseruit, scil. vocem universalem, ut ait Quintilianus VIII 5, 3, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis. Similiter in Theramenis oratione § 43 sententia usus est.

Iam adferam figuras, quibus auctor in Theramenis oratione componenda usus sit.

II 3, 35: *ἐγὼ δὲ . . . ἐκεῖνοι δ' . . .* antitheton.

II 3, 36: Xenophon membrorum exitus similes reddere facili opera potuit, si dixisset *ἀλλ' ἐν Θετταλίᾳ μετὰ Προμηθέως δημοκρατίαν κατεσκεύαζε καὶ τοὺς πενέστας ἐπὶ τοὺς δεσπότας ὥπλιζεν.*

II 3, 37: *ὑμᾶς μὲν . . . τοὺς δ' . . .* antitheton et parison. *πράττων - πεπραγμένα - πράττει . . .* quo loco tria eiusdem stirpis verba consonantia posuit.

II 3, 38: *μέχρι μὲν . . . ἐπεὶ δὲ . . .* antitheton, cuius altero in membro homoeoteleuton confecit, dicens *συλλαμβάνειν . . γιγνώσκειν.* Neque neglegendum illud *ἠρξάμην*, cui respondet *ἤρξαντο.* Totam vero sententiam homoeoteleuto potuit exornare, si verba hunc fere in modum posuisset: *οὐκοῦν μέχρι μὲν τοῦ ὑμᾶς τε εἰς τὴν βουλείαν καταστῆναι καὶ ἀρχὰς ἀποδειχθῆναι καὶ τοὺς ὁμολογουμένως συκοφάντας ὑπαχθῆναι* (pro *ὑπάγεσθαι*!), *πάντες ταὐτὰ ἐγιγνώσκομεν.*

II 3, 39: *ἀποθνήσκοντος μὲν* } antitheton et
ἀδικοῦντος δ' . . . } homoeoteleuton.

ἀποθνήσκοντος . . Λέοντος . . . ἀνδρὸς . . ὄντος . . . δοκοῦντος . . ἀδικοῦντος . . hoc vero loco sex genetivos, quorum exitus idem aut similis est, paene continuos legimus. *φοβήσοιντο . . ἔσοιντο* homoeoteleuton et parison. Hic locus scatet verbis, quae similiter desinunt. cf. 39: *φοβήσοιντο - ἔσοιντο - γενήσοιντο* - 40: *ἔσοιντο* - 42: *ἔσοιτο - προσγενήσοιντο - φανήσοιντο* - 43: *νομίζοιτο.*

II 3, 39: modo *οἱ ὅμοιοι τούτῳ* modo *οἱ τούτῳ ὅμοιοι* dicit.

II 3, 40: duae sententiae iisdem verbis inducuntur, cum dicat *ἀντεῖπον δὲ καὶ ὅτε . . .*

II 3, 41: *ἀντεῖπον δὲ καὶ ὅτε . . .*

II 3, 42: *ἕως ῥᾳδίως ἐμέλλομεν οἱ ἄρχοντες τῶν ἀρχομένων κρατήσειν* qua in sententia perspicuum paronomasiae exemplum invenimus. *πολλοὺς . . . πολλοὺς δὲ . .* anaphora. *ἔσοιτο . . προσγενήσοιντο . . φανήσοιντο:* Tria membra similiter cadunt. Duo vero membra *τῷ μὲν . . τοῖς δ' . .* orationem efficiunt contrariam.

II 3, 43: *ὁ ταῦτα . . νομίζοιτο;* qua in interrogatione Xenophon homoeoteleuton *ἂν δικαίως εὐμενὴς ἢ προδότης νομίζοιτο . .* sprevit. *οὐχ οἱ . . ποιεῖσθαι, οὐδ' οἱ . . κτᾶσθαι,* parison et homoeoteleuton. Si verba *οἱ . . . ποιοῦντες καὶ οὐ μόνον τοὺς φίλους ἀλλὰ καὶ ἑαυτοὺς δι' αἰσχροκερδείαν προδιδόντες* collocasset, membrorum exitus similes fecisset.

II 3, 44: *πότερον οἴεσθε . . . ;* erotema
νῦν μὲν . . εἰ δὲ . . . antitheton.

II 3, 46: *τοῦτ' . . . φίλων;* erotema.

II 3, 47: *ὅστις . . . χρή;* erotema
ἐν μὲν . . ἐν δὲ . . antitheton et parison. *δημοκρατία . . μισοδημότατος* paronomasia. Homoeoteleuton vero conficere potuit, si verba *μισοδημότατος* et *μισοχρηστότατος* in membrorum finibus posuisset.

II 3, 49: *ἐὰν γὰρ . . πώποτε πεποιηκώς,* parison. Ultima quae non sunt eiusdem stirpis, verba, cum consonent, sub *παρηχήσεως* nomine comprehendenda esse censeas.

Hi sunt in Critiae et Theramenis orationibus loci, quibus illa schemata, quae Gorgiea vocantur, elucere videantur. Quas comparantes Xenophontem in utraque oratione iisdem fere figuris usum esse videmus. Euryptolemi vero oratione multo artificiosius compositae sunt, quamquam exemplis supra collatis satis apparet Xenophontem etiam in his Critiae Theramenisque orationibus figuras non semper consulto neque arte adhibuisse. Praecipue in Theramenis oratione exempla invenimus, ex quibus figuras Gorgieas non semper de industria eum quaesivisse satis elucet.

Quam ob causam, quae invenimus schemata Xenophontem non consilio atque ratione sed casu quodam adhibuisse dicas. Praeterea particulis hae Critiae Theramenisque orationes abundant. Non solum *δὲ* passim legimus, sed etiam *δέ γε, δ'αὖ, δέ τοι, δὲ καὶ* et *δή, δήπου, γὰρ δή, γὰρ δήπου, καὶ δήπου, καίτοι, τοίνυν, γὲ μέντοι, οὐκοῦν, γὲ μήν, ἀλλὰ μὴν καί.* Cum vero quomodo Xenophon particulis variis multiplicibusque his in orationibus utatur, nobiscum reputamus, has duas orationes a ceteris, quae in prima Hellenicorum parte conscripsit, particularum usu multum differre videmus. Crebrius vero Xenophon particulas his in orationibus videtur idcirco usurpare, quod et Critiam et Theramenem gravissima animorum concitatione atque commotione loquentes induxerit. Ceterum particulas in prima Hellenicorum parte exceptis his duobus orationibus haud minus raro usurpari atque in Cynegetico Radermacher [1]) ostendit [2]).

Et Critias et Theramenes laude oratoria florebant. Sed valde dolemus, quod orationum, quas habuerunt, nulla ad nostram aetatem pervenit neque ullius fragmentum, quocum orationes quas Xenophon eos habentes fecit, comparari possint. Critiam orationes quasdam litteris mandavisse ex veterum scriptorum locis apparet, dico Hermogenis [3]) et Dionysii [4]), qui de Thrasymacho dicit: *πᾶς δ'ἐστὶν ἐν τοῖς τεχνογραφικοῖς καὶ ἐπιδεικτικοῖς· δικανικοὺς δὲ ἢ συμβουλευτικοὺς οὐ [πολλοὺς]* [5]) *ἀπολέλοιπε λόγους τὰ δὲ αὐτὰ καί περὶ Κριτίου καὶ περὶ Ζωίλου τις ἂν εἰπεῖν ἔχοι, πλὴν ὅσον τοῖς χαρακτῆρσι τῆς ἑρμηνείας διαφέρουσιν ἀλλήλων.* Theramenes vero utrum orationes litteris mandaverit necne nescimus [6]). Usque ad Ciceronis aetatem nihil eorum quae Theramenes haud scio an conscripserit servatum esse, Cicero ipse testis est [7]).

---

1) Rh. M. LI (1896) 612.
2) cf. Roquette p. 39.
3) Sp. II 415.
4) Dionys. Isae. 20.
5) sic Blass I p. 271 adn. 1.
6) cf. Münscher, de Isocrate, P. W. IX (2153).
7) Cic. de or. II 93.

De Critiae [1]) quidem genere dicendi quid veteres scriptores iudicaverint, memoriae proditum est, ut quomodo locutus sit, animo fere fingere nobis possimus: Philostratus Critiam densum fuisse sententiis dicit et aptum qui magnifice loqueretur *γνώμας δὲ πλείστας ἑρμηνεύων* [2]). *τὴν δὲ ἰδέαν τοῦ λόγου δογματίας ὁ Κριτίας καὶ πολυγνώμων σεμνολογῆσαί τε ἱκανώτατος* [3]). Laudat eum quod effugerit *τὴν διθυραμβώδη σεμνολογίαν, οὐδὲ καταφεύγουσαν ἐς τὰ ἐκ ποιητικῆς ὀνόματα, ἀλλ' ἐκ τῶν κυριωτάτων συγκειμένην καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσαν.* Atque pergit [4]) *ὁρῶ τὸν ἄνδρα καὶ βραχυλογοῦντα ἱκανῶς καὶ δεινῶς καθαπτόμενον ἐν ἀπολογίας ἤθει, ἀττικίζοντά τε οὐκ ἀκρατῶς, οὐδὲ ἐκφύλως — τὸ γὰρ ἀπειρόκαλον ἐν τῷ ἀττικίζειν βάρβαρον — ἀλλ'ὥσπερ ἀκτίνων αὐγαὶ τὰ 'Αττικὰ ὀνόματα διαφαίνεται τοῦ λόγου. καὶ τὸ ἀσυνδέτως δὲ χωρίῳ προσβαλεῖν Κριτίου ὥρα, καὶ τὸ παραδόξως μὲν ἐνθυμηθῆναι, παραδόξως δ'ἀπαγγεῖλαι Κριτίου ἀγών, τὸ δὲ τοῦ λόγου πνεῦμα ἐλλιπέστερον μέν, ἡδὺ δὲ καὶ λεῖον, ὥσπερ τοῦ Ζεφύρου ἡ αὔρα.* Dionysius Hal. [5]) Critiam non ut Thucydidem Platonemque vetere lingua Attica sed genere dicendi Lysiae usum esse memoriae prodidit. Hermogenes [6]) Critiam oratorem laudat dicens *ἔχει δὲ πολλαχοῦ καὶ μάλιστα ἐν τοῖς δημηγορικοῖς προοιμίοις καὶ τὸ ἀληθινόν τε καὶ πιθανόν.*

Neque minus laude oratoria florebat Theramenes [7]), discipulus Socratis, Prodici, Gorgiae; Suidas et Aristoph. Schol. in ranas 541 eum magistrum Isocratis fuisse atque studiis rhetoricis studuisse memoriae prodiderunt. Sed cum dubium sit an Theramenes iuventutem non

---

1) de Critiae laude oratoria cf. Wilamowitz, Aristoteles und Athen I 131 sq. 174 sq. E. Meyer, Gesch. d. Alt. V 17 adn. Blass I 262 sq. A. v. Blumenthal: Der Tyrann Kritias als Dichter und Schriftsteller, Lpz. 1923.

2) Philostr. V. Soph. ed Kayser II 18, 15.

3) 19, 12 sq. 4) 19, 16 sq.

5) Dionys. Hal. Lys. 2. Isae. 20. 6) cf. Sp. II 415.

7) de Theramenis laude oratoria cf. Cic. de or. III 59. Brut. 29. Wilamowitz, Aristoteles u. Athen I 167 sq. Blass I 275.

docuerit neque erudiverit, eum Isocratis magistrum non fuisse inter omnes constat [1]). Attamen ex illis veterum scriptorum verbis eum virtute oratoria floruisse apparet. Lumen eum praecipue *τοῦ γένους συμβουλευτικοῦ* exstitisse apud Doxopatrem [2]) legimus: *ὅστις γὰρ οἶδε μόνον τὸ συμβουλευτικόν, μὴ μέντοι τὸ δικανικὸν καὶ τὸ πανηγυρικόν, οὗτος ῥήτωρ τέλειος, ὡς Θηραμένης ὁ κόθορνος ·συμβουλεύειν γὰρ μόνον εἰδώς, ὅμως ῥήτωρ ἐνομίζετο.* Qui quae veteres scriptores de Critiae genere dicendi tradiderunt, cum ea oratione comparabit, quam Xenophon Critiae tribuit Xenophontem non id spectavisse intelleget ut orationem generi dicendi Critiae adaequaret. Duas enim modo ut supra [3]) dixi sententias inseruit, quamquam Critiae orationes sententiis abundavisse scimus. Neque Xenophon Critiam *ἀσυνδέτως* neque *παραδόξως* loquentem induxit. Quam orationem, quamquam Xenophon artificiosissime composuit, tamen vetere lingua Attica usus suo ipsius genere dicendi scripsit. Atque idem certe de Theramenis oratione Hellenicis inserta dici potest. Nemo quidem dubitabit quin Critias et Theramenes apud senatum alter alterum accusaverint atque se ipsos defenderint. Sed Xenophon utriusque orationem non verbum de verbo quasi calamo acceptam refert. Immo quamvis sententiae plus minusve congruere concedamus, verba profecto sunt Xenophontis. Xenophontem ipsum Athenis orationes illas audivisse ac memoria bene tenuisse vividus fervidusque color orationum, quas scripsit, est documento. Neque quisquam negabit, Xenophontem qui ipse rebus interfuit, ut Critiae Theramenisque virtutem oratoriam assequeretur, has orationes maxima cum diligentia industriaque composuisse. Quibus orationibus narrationem de triginta tyrannorum dominatione sic ornavit, ut res ante legentium oculos agi, non narrari videantur.

---

1) Blass II 12: „Fabeln, die sich selbst widerlegen", et Münscher, P. W. IX 2153.
2) Walz, VI 21. 3) cf. p. 30.

Quod Critiae Theramenisque certamen Xenophontem ea de causa narrationi inseruisse ut Thucydidis praecipue scribendi artem [1]) imitaretur verisimile non videtur. Immo sua ipsius arte dicendi usus rem ita instituit ut narratio tota fere in horum virorum certamine describendo versetur. Quamquam Thucydidis artem secutus est [2]), quod de vita moribusque certantium non ipse explicando refert, sed eos et orationibus et singularibus dictis suam ipsorum naturam patefacientes proponit.

Xenophon profecto de rei publicae rationibus idem fere sentiebat atque Theramenes [3]), qui optimatium partes secutus esse videtur sed cum moderatione quadam ac temperantia. Et ex verbis ipius Theramenis et ex iis quae Critias apud Xenophontem de eo dicit, cognoscimus Theramenem omnia consilia et facta referre voluisse ad honestatem et aequitatem neque pauca in verbis eius inveniüntur, quibus manifestum fiat, Xenophontem discipulum fuisse Socratis, qui animos ac mentes hominum summi momenti esse putabat.

Theramenem bis (Hell. II 3, 56) breviter sententiam facit dicentem, ut admiremur elatum animum viri intrepidi, qui prudenter minas carnificis recuset, *ἂν δὲ σιωπῶ, οὐκ ἄρ', ἔφη, οἰμώξομαι*; cum coniectus in carcerem venenum ut sitiens duxisset, reliquam partem sic e poculo eiecit, ut resonaret, quo sonitu reddito arridens propino, inquit, hoc pulchro Critiae, *Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστιν τῷ καλῷ*. Quae verba Xenophon contra leges

1) Haec sunt certamina, quae apud Thucydidem legimus:
I 32—36 et I 37—43
I 68—71 et I 73—78
I 80—85 et I 86
III 53—59 et III 61—67
VI 9—14 et VI 16—18 et VI 20—23
VI 33—34 et VI 36—40
VI 76—80 et VI 82—87.

2) cf. J. Bruns, p. 8 sq. 35 sq.

3) de Theramene et veteres et recentiores scriptores vario modo iudicavisse Busolt, gr. Gesch. III 2 p. 1462 adn. 5 explicat.

Thudycideae artis a se scripta esse cognovisse videtur, itaque quasi excusandi causa addit, *καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἀγνοῶ, ὅτι ταῦτα ἀποφθέγματα οὐκ ἀξιόλογα, ἐκεῖνο δὲ κρίνω τοῦ ἀνδρὸς ἀγαστόν, τὸ τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς*[1]). Xenophon vero etiam maiore admiratione incensus, Theramenes quomodo poculum mortiferum exhauserit, narravisse videtur, cum Theramenem ut alterum Socratem diem supremum obisse censeret.

Qua admiratione commotus pessimum illud, ut nobis quidem videtur Theramenis facinus, quod praetores navales post pugnam apud Arginusas commissam capitis accusavit, quam maxime dissimulare studet. Legentes quae Xenophon de illa pugna deque contione illam ob causam postea convocata I 7 scripsit, Theramenis verba, quae II 3, 35 dicit, valde ut bonam gratiam ei quaereret, ficta esse cognoscimus [2]). Theramenem peccavisse Xenophon negare non potest. Sed arte sua effecit, ut fraudum insidiarumque obliti illi ignoscamus. Clarissimam enim mortem oppetivisse videtur pro iis, quae optimus quisque illorum temporum cupiebat atque optabat.

Restat ut pauca dicamus de quarto alterius libri capite. Theramene supplicio affecto multi Atheniensium exsules se Thebas atque Megaram contulerant [3]). Paulo post Thrasybulus paucis cum comitibus Thebis profectus Phylen castellum occupavit in Attica munitissimum [4]) et crescente in dies suorum numero brevi post tyrannorum copias ad oppugnandam Phylen profectas vicit [5]). Qui ut haberent perfugium, Eleusina

---

1) cf. Cic. Tusc. I 96. Ad hunc apud Ciceronem locum cf. Münscher p. 76. de cottabo cf. K. Schneider, P. W. XI 1528 sq.

2) Wilamowitz in libro qui Aristoteles u. Athen inscribitur, sententiam Theramenis II 3, 19 e libello aliquo a Theramene fortasse composito sumptam esse dicit; Theramenis enim in Xenophontis Hellenicis II 3, 19 verba simillima sunt Aristotelis de re publica Atheniensium l. XXXVI 2. Hanc vero opinionem E. Meyer, Gr. G. V 25 adn. reiecit, cum Aristotelem e Xenophontis libro hausisse ostenderet.

3) Hell. II 4, 1. 4) Hell. II 4, 2. cf. Nep. Thras. 2, 1.

5) Hell. II 4, 7.

occupaverant[1]), atque Critia auctore incolas nefaria fraude circumvenerant. Multis enim Eleusiniis a triginta tyrannis in vincula coniectis postero die Critias suos εἰς τὸ Ὠιδεῖον convocatos ut Eleusinios illos capitis damnarent cohortatus est. Cuius crudelitatem ut eo magis cognosceremus, Xenophon Critiam II 4, 9 suis ipsius verbis dicentem induxit: *δεῖ οὖν ὑμᾶς, ὥσπερ καὶ τιμῶν μεθέξετε, οὕτω καὶ τῶν κινδύνων μετέχειν. τῶν οὖν συνειλημμένων Ἐλευσινίων καταψηφιστέον ἐστίν, ἵνα ταὐτὰ ἡμῖν καὶ θαρρῆτε καὶ φοβῆσθε.* Critias vero, postquam permultos homines pessumdedit, ipse ad exitium vocatur. Iam Thrasybulus Piraeo noctu occupato[2]) prope Munichiae portum fundit adversarios; qua in pugna Critias[3]) cecidit. Ante pugnam vero in Piraeo committendam Thrasybulus milites ad virtutem hortatus est, quae verba apud Xenophontem II 4, 13—17 legimus. Huiusmodi ducum adlocutiones ante pugnam militum animos adhortandi atque inflammandi causa factae *παρακλητικοί* (scil. *λόγοι*) vocantur. Quod nomen primum legimus apud Polyb. XII 25 a, 3, qui mentionem facit *τῶν συμβουλευτικῶν καὶ παρακλητικῶν ἔτι δὲ πρεσβευτικῶν λόγων, οἷς κέχρηται Τίμαιος.* Ante Polybium verbum *παρακαλεῖν* eadem de re iam apud Xenophontem usurpatum invenimus[4]). Praeterea verba *προτρέπειν, παραινεῖν, θαρρύνειν* eadem cum vi adhibita videmus. Adde quod Thucydides verbum *παρακελεύειν* praetulisse videtur[5]). *παρακλητικός* autem qui dicitur quamquam iam apud Homerum atque poetas elegiacos haud raro eiusmodi admonitiones reperimus, a Thucydide primo Graecorum rerum scriptorum operi insertus est. Cuius auctoritatem ceteri secuti sunt[6]). Quam

---

1) Hell. II 4, 8. 2) Hell. II 4, 10. 3) Hell. II 4, 19.

4) cf. Xen. Anab. III 1, 24. 44.

5) de his cf. Jos. Albertus, die *παρακλητικοί* i. d. griech. u. röm. Lit. Diss. Straßburg 1908.

6) Thucydidem duodecim *παρακλητικούς* septem operis libris inseruisse Albertus affirmat; atque p. 28 sq. tabulam confecit omnium *παρακλητικῶν* in veteribus rerum scriptoribus. Enumerat etiam sex locos ex Xenophontis Anabasi, duos e Cyri expeditione sumptos.

ob causam sane permirum videtur quod Xenophon perpaucos *παρακλητικούς* historicis quos confecit libris intexuit. Quin etiam Albertus in Hellenicis ullum verum et proprium *παρακλητικόν* esse negat. Quem virum doctum non recte iudicavisse censeo. Haec enim Thrasybuli verba neque accusandi neque defendendi causa neque ob suadendam vel dissuadendam legem sed ut exercitus adhortando inflammaretur ante ipsum proelium, facta sunt. Adde quod Xenophon iisdem fere sententiis atque locis communibus usus est ac Thucydides in paracleticis. Neque enim *παρακλητικὸν λόγον* quinque principales partes complecti necesse est, in quas rhetores antiqui orationes dividere solebant. Immo pleraeque harum partium in paracleticis exiles fiunt vel omnino desunt.

Incipit vero Thrasybulus eum in modum ut doceat milites, ne pugnandi genus neve hostem quocum iis confligendum est ignorent, qua de causa quo ordine hostes aciem instructuri sint, milites certiores facit III 4, 13. Quae deinceps Thrasybulus II 4, 14 de iniustissima triginta tyrannorum crudelitate dicit, qui omnis humanitatis expertes esse videantur, duos vel tres locos Anabasis in memoriam nostram redigunt. Anab. III 1, 21 enim Xenophon hostes ipsos indutias violavisse affirmat atque similiter Anab. III 2, 3 Cleanor loquitur. (cf. Anab. III 2, 8). — *οἱ δὲ θεοί*, Thrasybulus II 4, 13 pergit, *νῦν φανερῶς ἡμῖν συμμαχοῦσιν.* Idem argumentum apud Thucydidem (VII 77) habemus et apud Xenophontem (Anab. III 1, 21. 42). — Tum II 4, 15-16 *τὸ δυνατὸν καὶ ῥᾴδιον* adhortationis est finis. Locum enim ad pugnandum aptissimum esse Thrasybulus exponit. Cuius similem argumentationem iterum habemus in Thucydide II 87. 89. — Quae Xenophon II 4, 16 Thrasybulum dicentem facit de pugnando, in mentem revocant, quae apud Thucydidem II 89 legimus. Quo pugnandi genere adhibito fieri non posse quin victoriam adipiscantur. — Ultimis denique verbis (17) Thrasybulus praemiorum mentionem facit, quibus milites, victoria

parta, affecti erunt. Similiter Xenophon Anab. III 2, 25 itemque Thucydides IV 95 victoriae praemia ducum in orationibus proponit.

Quae cum ita sint Alberti sententiam reiciendam esse censeo; verba enim, quibus Thrasybulus milites ante pugnam in Piraeo committendam hortatur atque inflammat, verum et proprium esse *παρακλητικὸν λόγον* contendere licet. — Atque similia de adlocutione Archidami VII 1, 30 atque de verbis Hell. VII 2, 20 insertis dici possunt. (cf. p. **120** et **121** sq. huius commentationis).

Restat ut pauca dicamus de figuris et in Critiae verbis et in Thrasybuli adlocutione adhibitis.

Iam supra diximus orationem Critiae in Theramenem habitam cum multis schematis tum antithetis scatere. Quam ob causam mirum non est Xenophontem vel his paucis enuntiationibus II 4, 9 duo inseruisse antitheta. Critiam enim dicentum audimus: . . *ὑμῖν* . . *ἢ ἡμῖν* . . Atque pergit . . . *καὶ τιμῶν μεθέξετε,* . . . *καὶ τῶν κινδύνων μετέχειν.* Verbis *μεθέξετε* et *μετέχειν* in fine membrorum positis *παρονομασίαν* quandam effecit.

Ex Thrasybuli vero oratione II 4, 13—17 haec figurarum exempla afferri possunt:

II 4, 13: *τοὺς μὲν διδάξαι, τοὺς δὲ ἀναμνῆσαι ὑμ. βούλομαι* parison et homoeoteleuton; atque contrarie posita habemus enuntiata.

II 4, 13: una in sententia quinque participia praesentis temporis legimus, quorum exitus iidem sunt: *δειπνοῦντες - καθεύδοντες - ἀγοράζοντες - ἀδικοῦντες - ἐπιδημοῦντες.* Tribus vero particulis, quas posuit, polysyndeton effecit.

II 4, 15: *οὗτοι μὲν* . . *ἡμεῖς δὲ* . . quibus verbis et orationem confecit contrariam et paria paribus reddidit.

II 4, 16: verbis *καὶ ᾤετο μὲν ἄν τις δεήσειν τοῖς γε πρωτοστάταις ἐκ τοῦ ἴσου μάχεσθαι.* Xenophon *ὑποφοράν* quae dicitur orationi inseruit. Subicit enim, quae contra Thrasybulum dici possint [1]).

---

[1]) cf. de hac figura Volkmann p. 260 et p. 493.

II 4, 17: iterum polysyndeton confecit, dicens *νῦν ἀποδώσει καὶ πατρίδα καὶ οἴκους καὶ ἐλευθερίαν καὶ τιμὰς καὶ παῖδας . . καὶ γυναῖκας.* Quibus locis collatis Thrasybuli adlocutionem etsi brevem, tamen ornate compositam esse intellegimus.

Maxima vero cum diligentia Xenophon quomodo exsules Thrasybulo duce libertatem et rem publicam recuperaverint narrat, quod non solum ex hac adlocutione Thrasybuli sed etiam ex illis, quae de vatis adhortatione et morte II 4, 18 narrat, et ex verbis, quae Cleocritum dicentem fingit, satis elucet. Thrasybulo enim suisque victoribus e proelio discedentibus Cleocritus *ὁ τῶν μυστῶν κῆρυξ, μάλ' εὔφωνος ὤν, κατασιωπησάμενος* cives, ut belli civilis finem faciant, adhortatur. (II 4, 20—22). Quibus verbis similiter atque adlocutioni Thrasybuli Xenophon complures figuras, quae dicuntur, inseruit.

Orditur II 4, 20 a duabus interrogationibus, dicens

τί ἡμᾶς ἐξελαύνετε;
τί ἀποκτεῖναι βούλεσθε;

Quo loco simul anaphoram adhibuit. Si insequentis sententiae verba in fine membrorum posuisset, homoeoteleuta effecisset, hoc fere modo dicens: *ἡμεῖς γὰρ ὑμᾶς κακὸν μὲν οὐδὲν πώποτε ἐποιήσαμεν, καὶ ἱερῶν τῶν σεμνοτάτων καὶ θυσιῶν καὶ ἑορτῶν τῶν καλλίστων ὑμῖν μετεσχήκαμεν, καὶ συγχορευταὶ καὶ συμφοιτηταὶ γεγενήμεθα καὶ συστρατιῶται, καὶ πολλὰ μεθ' ὑμῶν καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑπὲρ τῆς κοινῆς ἀμφοτέρων ἡμῶν σωτηρίας τε καὶ ἐλευθερίας κεκινδυνεύκαμεν.* Primo membro septem genetivos, quorum exitus iidem sunt, inseruit; alteri vero membro verba *συγχορευταί* et *συμφοιτηταί* et *συστρατιῶται* intexuit, quorum et initium et exitus idem est. Tertio denique in membro verbis *σωτηρίας* et *ἐλευθερίας* homoeoteleuton quasi confecit. Adde quod haec paragraphus scatet verbo *καί*, decies posito. Haud scio an Xenophon Cleocritum ita dicentem induxerit, ut gravitatem dicendi

atque severitatem τοῦ τῶν μυστῶν κήρυκος amplificaret atque augeret.

Non solum prima paragraphus sed totus sermo scatet polysyndetis: Praeterea duo antitheta legimus:

II 4, 21: τριάκοντα . . πλείους . . ἢ πάντες κ. τ. λ.

II 4, 22: . . οὐ μόνον ὑμεῖς ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς κ. τ. λ.

Tandem populus abrogato triginta virorum imperio decemviros creat (II 4, 23). Cum in Piraeo exsules magis magisque se confirmarent, rursus Lysander triginta viris potissimum hortantibus una cum fratre nauarcho advenit, ut exsules terra marique obsessos ad deditionem compellerent. (II 4, 24 sq.) Sed Pausanias rex cum adversariorum animos reconciliaverit (II 4, 35 sq.), Thrasybulus Athenas revertitur et populi imperium restituit. (II 4. 40 sq.).

Verba vero, quibus Thrasybulus pace facta cives, ut semetipsos cognoscant, admonet, apud Xenophontem legimus II 4, 40—42: συμβουλεύω ἐγὼ γνῶναι ὑμᾶς αὐτούς. Thrasybulus τοὺς ἐκ τοῦ ἄστεως ἄνδρας neque iustiores neque fortiores neque prudentiores esse exsulibus affirmat neque eos habere demonstrat, quam ob rem Lacedaemoniorum auxilio glorientur.

Pauca iam mihi dicenda de figuris. Uno loco antitheton et parison adhibuit, dicens II 4, 40: ὁ μὲν δῆμος . . ὑμεῖς δὲ . .

Quinque interrogationes Thrasybuli verbis ita inseruit, ut omni interrogationi refutationem artissime verbo ἀλλὰ adhibito adnecteret, velut II 4, 40 πότερον δικαιότεροί ἐστε; ἀλλ' ὁ μὲν δῆμος πενέστερος . . . Vividissimam vero reddidit orationem similitudine illa, quam ad exprimendam rerum imaginem composuit (II 4, 41): πῶς, οἵ γε, ὥσπερ τοὺς δάκνοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασιν, οὕτω κἀκεῖνοι ὑμᾶς παραδόντες τῷ ἠδικημένῳ τ. δ. κ. τ. λ. Quibus verbis illustrat Solonis legem, quam Plutarchus memoriae prodidit Solon. 24: ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων

νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τριπήχει δεδεμένον. Adde quod eadem in paragrapho polysyndeton effecit dicens: *οἱ ἔχοντες καὶ τεῖχος καὶ ὅπλα καὶ χρήματα καὶ συμμάχους.* Ultimis vero verbis II 4, 42 *ὅτι καὶ εὔορκοι καὶ ὅσιοί ἐστε* homoeoteleuton usurpavit.

Ac de orationibus quas Xenophon primae Hell. parti inseruit, satis dixisse mihi videor. Sequitur ut de altera Hell. parte disputemus.

---

§ 2.

De altera Hellenicorum parte (III—VI).

Altera Hellenicorum parte III—V 1, 36 res ab anno 399 usque ad annum 387 gestae narrantur [1]). Graecis in Asia habitantibus contra Persas Lacedaemonii primum auxilio mittunt Thibronem, deinde (anno 399) Dercylidam (III 1), postremo anno 397 Agesilaum (III 4). Cui quamquam rem in Asia bene gessit, bellum ad finem perducere non licet, cum novo bello in ipsa Graecia orto ex Asia anno 394 ipsis a Lacedaemoniis revocetur.

---

1) De historia illorum annorum cf. Beloch, griech. Gesch. III 1 p. 30 sq.
Quibus annis singulae res factae sint, vide Beloch, gr. Gesch. III 2 p. 450 sq.
401 Pugna prope Cunaxam facta.
400 Agesilaus rex creatus est.
Thibro in Asia (autumno) cum Persis bellum gerit.
399 Cyraei in exercitu Lacedaemoniorum militant (hieme).
Dercylidas in Asia } res gerunt.
396 Agesilaus in Asia }
395 In Graecia Lacedaemoniis bellum imminet.
394 Aesilaus in Graeciam proficiscitur.
Pugna ad Nemeam commissa (mense Quintili).
Pugnae apud { Cnidum / Coroneam } mense Sextili factae.
386 pax Antalcidae convenit
de pace Antalcidae cf. Xen. Hell. V 1, 29 sq.
Plat. Menex. 245 b sq.
Aristid. I 282 Dindorf.
de Graecis pace conciliatis cf. E. Meyer, Gesch. d. Altert. V 274 sq. De rei publicae Atheniensium illa aetate statu cf. Beloch, Att. Pol. cap. VII-VIII p. 110 sq. et p. 131 sq.

(IV 2). Nuntio de infelici ad Cnidum pugna commissa dissimulato Agesilai arte bellandi factum est, ut proelio ad Coroneam facto anno 394 Lacedaemonii superiores discederent (IV 3). Insequentibus annis gravia proelia non committuntur. Anno 387 pax, quae vocatur Antalcidae (V 1, 36) est facta iis condicionibus ut Graeca oppida in Asia sita Artaxerxis essent regis, ceterae omnes civitates sui fierent iuris (V 1, 29-36).

Hanc alteram partem Xenophon nimirum eo conscripsit consilio ut quae ipse vidisset atque expertus esset memoria complecteretur et servaret ac simul cum Spartanorum tum Agesilai regis laudes celebraret. Atque res ita digessit, ut quae compluribus annis eadem in regione gesta sunt, eodem tenore persequeretur. Initium vero faciens a Cyri expeditione [1]) in Hellenicis consulto praetermittit quae notissima sunt ex Anabasi (Hell. III 1, 1-2). Huius sui ipsius operis eum hoc loco sub nomine Themistogenis [2]) mentionem fecisse nemo ignorat.

Hieme anni 399 Thibron Graecos milites e Cyri expeditione reversos suo exercitui addidit. (Hell. III 1, 6. Anab. VII 8, 24). Ipse quoque Xenophon cum militibus a Thibrone nondum susceptis domum redire [3]) in animo habuisset, (Anab. VI 7, 57), ab amicis admonitus ne commilitones duce orbatos Thibroni mandaret, Lacedaemoniorum stipendia fecit. Quid ipse postea in exercitu Graecorum Thibrone imperatore fecerit, non satis

1) Xenophon cum illis temporibus in Graecia non fuerit, narrationis initium faciens a Cyri expeditione ea quae annis 403-399 in Graecia gesta sunt, bello Eleo III 2, 21-31 excepto omnino fere silentio praeterit.

2) de Themistogene cf. Münscher Philol. Suppl. XIII 2, 15 adn. 2 et p. 231.

3) Quam ob causam Xenophon Cyri expeditioni interfuerit, ipse narrat Anab. III 1, 4 sq. cf.
K. W. Krüger I p. 247.
E. Schwartz 165 sq.
Quam ob causam Xenophon militibus Thibroni traditis domum reversus non sit, vide E. Meyer, Gesch. des Altert. V 169 adn. E. Schwartz 167 sq.

liquet neque meum est inquirere. Sed eum in Asia mansisse atque rebus a Thibrone, Dercylida, Agesilao in Asia gestis interfuisse inde apparet quod compluribus Hellenicorum locis res nequaquam gravissimas adeo accurate narravit adeoque perspicue ac dilucide legentium ante oculos posuit, ut quin ipse eas coram viderit dubitari non possit. Quod, quam magni fuerit momenti ad orationes inserendas nunc iam demonstrabo.

Thibrone duce Cyraei non bene valuisse videntur. Qui cum milites disciplina coërcere nesciret [1], Cyraei praedando assueti etiam sociorum oppida ita diripiebant, ut apud senatum Lacedaemoniorum de illis quererentur (III 1, 8). Xenophontis autem ut Cyraeos purgaret (III 2, 7), tantopere interfuit, ut quae dux Cyraeorum Lacedaemoniorum legatis respondit, ipsis eius verbis rettulerit, superbissimo animo dictis. Suum quidem nomen iterum hoc loco reticet. Sed quin *ὁ τῶν Κυρείων προεστηκώς* nemo esse possit nisi Xenophon ipse, vix dubium est. Qui cum in exercitu Lacedaemoniorum militans more Lacedaemoniorum loqui studeat, presse subtiliterque respondet. Quae brevis responsio sane elegantissime atque artificiosissime composita est. Duo membra sibi opponuntur: *ἡμεῖς μὲν . . ἄρχων δὲ* . . , atque alterius membri exitus iterum est antitheton: *ἡμεῖς μὲν ἐσμεν οἱ αὐτοὶ νῦν τε καὶ πέρυσιν· ἄρχων δὲ ἄλλος μὲν νῦν, ἄλλος δὲ τὸ παρελθόν.* Verbis *νῦν τε καὶ πέρυσιν*, cum unam fere eandemque rem spectent et significent, scil. *μέχρι τοῦδε, ἀεί*, Xenophon iterum figuram quae „polare Ausdrucksweise“ dicitur adhibuit [2]). Et ad ornandam et ad exaugendam responsionem repetitione utitur, dicens *ἄλλος μὲν νῦν . . ἄλλος δὲ τὸ παρελθόν.*

Quae verba circumscriptione quadam ad finem perducuntur, cum nominibus quamvis omissis tamen

---

1) cf. Hell. IV 8, 22: quo loco Xenophon de Diphrida scripsit: *ἦν δ'οὗτος ἀνὴρ εὔχαρίς τε οὐχ ἧττον τοῦ Θίβρωνος, μᾶλλόν τε συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος στρατηγός.*

2) cf. Kemmer p. 179 sq.

Thibronem graviter accusari sentiamus Dercylidamque, quo duce Xenophon Cyraeique melius valuerant, laudibus efferri.

Optime vero se habebant Agesilao duce. Agesilaus quamquam — nescimus quam ob causam — imperium Cyraeorum ei abrogavit (Hell. III 4, 20), Xenophontem amicum comitemque sibi adiunxit [1]). Quo factum est ut Xenophon annis 396-95 in Asia Agesilai castra sequeretur, quo rege atque imperatore neminem digniorem qui laudibus efferretur eum existimavisse ex iis, quae posterioribus temporibus conscripsit, satis elucet. Postquam vero Agesilaus in Graeciam revocatus est, Xenophon Athenas non revertit, immo patriae adeo oblitus est, ut in Agesilai exercitu contra Athenienses proficisceretur et in pugna apud Corneam commissa fortasse contra suos ipsius cives arma ferret.

Ubi Xenophon post pugnam Coronensem versatus sit, haud satis certo scimus. Constat eum Agesilai expeditioni in agrum Corinthium [2]) susceptae interfuisse. Haud scio an arma etiam tulerit adversus Acarnanes [3]). Scilluntem certe non prius quam anno 387 migravit [4]). Profecto vero Xenophon, ut erat versatili atque mobili animo, cum illis annis de Graecorum rebus multum cogitavit ut Lacedaemoniorum assecla admirabili Agesilai prudentia atque virtute civitatis magnificentiam confirmari censebat. Huius viri admiratione imbutus

---

1) Quantopere Agesilaus Xenophontem observaverit, vide E. Schwartz p. 173 sq.

2) Hell. IV 5, 6—8. cf. Nitsche p. 31.

3) cf. Nitsche p. 31. cf. E. Schwartz p. 164.

4) Pauca mihi dicenda esse videntur de exsilio, quo Xenophon illa aetate affectus est. De qua re cum ipse non perspicue dicat, magna inter viros doctos dissensio fuit. His vero diebus inter omnes fere constat nisi apud Coroneam adversus patriam acie dimicavisset, futurum non fuisse ut patria careret. Itaque anno 394 Eubulo vel Eubulide archonte exsilio multatus est cf. Wilamowitz: Antigonos v. Karystos, philol. Unters. IV. Heft, Blin. 1881 p. 330 sq. 333.
E. Schwartz p. 168 sq. 174 sq.
Münscher p. 68 adn. 5.

cum familiarissimus eius comes fuisse videatur, historiam illorum annorum ita composuit, ut altera in Hellenicorum parte historiam non omnium Graecorum sed Lacedaemoniorum et praesertim Apesilai regis conscriberet. Quam rem ad orationes inserendas magni momenti fuisse consentaneum est. Etenim quae ipse audivit dialogis potissimum brevibus rettulit, paucas praeterea orationes easque brevissimas narrationi intexuit. Quarum longissima est, quam III 5, 8-15 Thebanorum legatos anno 395 Athenas missos concilio convocato (*ἄνδρες Ἀθηναῖοι*) habuisse fingit. Postquam enim Lacedaemonii bello Peloponnesiaco composito principatum Graeciae obtinuerant, paulo post Thebani Lacedaemoniorum aemuli atque adversarii sunt facti, quia Lacedaemoniorum auctoritate plurimum in dies apud Graecos valente suam ipsorum potestatem tabescere atque evanescere sentiebant. Hostes vero fiebant, cum Locros in fines Phociorum qui cum Lacedaemoniis foedere coniuncti erant incursionem facientes, adiuvissent [1]. *οἱ μέντοι Λακεδαιμόνιοι ἄσμενοι ἔλαβον πρόφασιν στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Θηβαίους* [2].

Quae cum Thebani comperissent, legatos Athenas miserunt rogatum ut Athenienses secum Lacedaemoniis bellum inferrent. Qui prooemio § 8 benevolentiam Atheniensium captare student: Affirmant enim 1) Bello Peloponnesiaco composito non a tota civitate Thebanorum sed unius tantum suffragio Athenae ut delerentur postulatum esse; (cf. Hell. II 2, 19 sq.)

2) quod Thebani cum Lacedaemoniis coniuncti Atheniensibus bellum inferre noluissent, Lacedaemonios inimicitias cum Thebanis suscepisse.

Qua in altera prooemii parte etiam quam ob causam Athenas venerint, explicant; quo loco Xenophon prooemium atque narrationem fere coniunxisse videtur. §§ 9—15 argumentatione comprobatur, quam ob causam Thebani Atheniensibus adiuvandi sint.

1) Xen. Hell. III 5, 3. Oxyrh. Pap. 11—13. E. Meyer, Theopomps Hell. p. 85 sq. 2) Hell. III 5, 5

1) Paucorum dominatione Athenis valente, cum Lacedaemonii hostes Atheniensium se gererent, Thebanos Atheniensibus adfuisse. § 9.

2) Cum Athenienses foedere cum Thebanis inito ipsis a Lacedaemoniis iniuria affectis subventuri sint, multas alias quoque civitates Atheniensium partes secuturos esse, quo futurum sit ut Athenienses veterem principatum recuperent atque etiam maiore auctoritate floreant quam antea, cum non solum civitates maritimae sed etiam Peloponnesii et ipse Persarum rex Atheniensium principatum probare atque amplecti cunctaturi non sint. §§ 10—14.

Qua in argumentatione tribus locis *τοῦ εἰκότος* mentionem facit.

1) *τοῦτο* (sc. veterem principatum recuperare) *δὲ πῶς μᾶλλον εἰκὸς γενέσθαι ἢ εἰ αὐτοὶ τοῖς ὑπ' ἐκείνων ἀδικουμένοις βοηθοῖτε;* § 10.

2) *πῶς οὖν οὐκ εἰκὸς ἐὰν ὑμεῖς αὖ προστῆτε τῶν οὕτω φανερῶς ἀδικουμένων νῦν ὑμᾶς πολὺ ἤδη μεγίστους τῶν πώποτε γενέσθαι;* § 14.

3) *νῦν δέ γε εἰκὸς τῷ παντὶ ὑμῖν ἐρρωμενεστέρως ἡμᾶς συμμαχεῖν ἢ τότε Λακεδαιμονίοις.* § 14.

Qua ex re satis elucet, Thebanos omnino ad probabile istud, *τὸ εἰκός*, refugisse.

3) § 15 Lacedaemonios multo facilius Atheniensibus vinci posse argumentis comprobant.

A verbis autem *ταῦτ' οὖν λέγομεν ἡμεῖς·* incipit epilogus, quo, Atheniensium benevolentia iterum conciliata, Athenienses ipsos uberrimum fructum e foedere cum Thebanis faciendo capturos esse affirmant.

Oratione habita Athenienses omnibus sententiis Thebanis subveniendum esse decernunt. (III 5, 16). Cui plebis scito a Thrasybulo pronuntiato hanc sententiam Xenophon III 5, 6 inseruit: *ὑμεῖς μὲν γὰρ οὐ συνεστρατεύσατε ἐφ' ἡμᾶς, ἡμεῖς δέ γε μεθ' ὑμῶν μαχούμεθα*

ἐκείνοις, ἂν ἴωσιν ἐφ' ὑμᾶς [1]), quam maximi momenti esse infra demonstrabo. (cf. p. 49).

Ut ad orationem ipsam redeam, generi deliberativo profecto attribuenda est. Legati vero qui verba facit nomen Xenophon non affert, cum legati non suas ipsorum sed civium, qui eos miserunt, sententias proferant.

Quod Thebani in prooemio sui purgandi causa omnem culpam unum in civem coniciunt, reminiscimur illius excusationis, quam Thebanos anno 427 Spartae protulisse Thucydides (III 62) memoriae prodidit: accusati, quod Medorum partes secuti sint, libertate populo erepta tyrannos omnium rerum potitos esse affirmant: *ἡ ξύμπασα πόλις οὐτ' αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν κ. τ. λ.* § 5.

Apud Plutarchum vero Lys. 15 Erianthi nomini huius, quam Xenophon commemorat turpitudinis, nota inusta videtur esse. Sed Erianthum non sua sponte sed omnium Thebanorum consensu, ut Athenae delerentur, postulavisse et inter omnes constat et Isocrates (Plat. XIV 32) Thebanis iure crimini vertit.

Prooemii vero altera in parte legati Athenienses admonent, ne obliviscantur beneficii illius, quo in bello civili a Thebanis ornati sint [2]). Quae verba legentes iterum illius a Thucydide insertae orationis (III 61 sq.) reminiscimur, qua Thebani se liberatores non solum Boeotorum sed omnium Graecorum praedicant (§ 62). Et apud Thucydidem et apud Xenophontem Thebani, ut animos audientium commoveant, semet ipsos summopere laudant atque praedicant.

De utilitate praecipue in argumentatione ambigitur neque Thebani facere potuerunt quin *ἀπὸ τοῦ συμφέρου* dissererent, cum Athenienses hoc foedere cum Thebanis facto manifesto iniuriam essent facturi Lacedaemoniis, ut *περὶ τοῦ δικαίου* dicere vix possent. Sed quaeren-

---

[1]) Hoc loco Xen. chiasmo usus est.

[2]) cf. Hell. II 4,30. ob eam causam Thebani Lacedaemonios in invidiam adduxerunt, cf. III 5, 5 *καὶ τοῦ ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ μὴ ἐθελῆσαι ἀκολουθῆσαι.*

dum videtur quam ob causam Xenophon Thrasybulum in tyrannis expellendis a Thebanis adiutum esse silentio praeterierit.

Scilicet eum consulto quam brevissime de beneficiis Thebanorum dicere vel omnino tacere apparet, ne Athenienses Thebanis obligatos esse putemus. Thebani enim cum multis Atheniensibus tum Xenophonti odiosissimi erant. Itaque hanc legatorum orationem inseruit, ut quam ob causam Athenienses foedus cum Thebanis quamvis invisis fecissent, explicaret. *τῶν δ' Ἀθηναίων πάμπολλοι μὲν συνηγόρευον, πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς*. (Hell. III 5, 16). Quibus verbis scriptor ea, quae Thebanos dicentes fecit, etiam ab Atheniensibus probata esse significat. Athenienses enim tunc temporis quam primum amissam libertatem potestatemque recuperare studebant [1]). Octo per annos frustra id contenderant et laboraverant, ut civitatis auctoritas atque potentia corroboraretur atque reficeretur. Sed carebant navibus, carebant muris. Quare cum Lacedaemonii omnes Graecorum civitates sua in potestate ac dicione tenerent, Atheniensibus, si foedus cum Thebanis erant pacturi, omnia conanda et audenda erant. Itaque quae legati refellunt, re vera ab Atheniensibus opponi poterant vel in controversiam vocari. Verum enim vero Atheniensibus potestas quae tum florebat Lacedaemoniorum, adeo erat invisa [2]), ut nulla interposita dubitatione Thebanis auxilium promitterent. Hac in rerum discrimine verba illa Thrasybuli maximi erant momenti *ὑμεῖς μὲν γὰρ οὐ συνεστρατεύσατε ἐφ' ἡμᾶς κ. τ. λ.* (vide sis p. 48 huius commentarioli) quae concinunt cum legatorum verbis *τότε ἅπασα ἡ πόλις ἀπεψηφίσατο μὴ συστρατεύειν αὐτοῖς* sc. *τοῖς Λακεδαιμονίοις*.

Legati quae re vera dixerint, nescimus. Xenophontem enim eorum orationem cum in Asia versaretur, ipsum non audivisse constat. Itaque legatos ita loquentes

---

[1]) cf. E. Meyer, Gesch. d. Alt. V 228.

[2]) cf. Andoc. de pace 25.

induxit, ut eos locutos esse et auditione famaque acceperit, et ipse existimaverit. Bene vero Thebanos sibi invisissimos hoc loco talia dicentes facit, ut etiam nobis contemnendi videantur.

Restat ut locos ex Thebanorum oratione conferam, quibus figuras, quae dicuntur Gorgieas Xenophontem usurpasse dicas.

III 5, 8: *οὐ γὰρ ἡ πόλις ἐκεῖνα ἐψηφίσατο, ἀλλ' εἷς ἀνὴρ εἶπεν.* Si proximo in enuntiato verba sic posuisset *μὴ συστρατεύειν αὐτοῖς ἀπεψηφίσατο*, homoeoteleuton confecisset.

III 5, 9: *ὥστε τὸ μὲν . . ὁ δὲ* antitheton et parison.

III 5, 10: *ἀλλ' ἕως μὲν . . ἐπεὶ δέ γε . . ἐγίγνωσκον.* Quae verba conficiunt orationem contrariam. Verbum *ἔκρυπτον* si posuisset post *τὴν πρὸς ὑμᾶς ἔχθραν*, membrorum exitus similes reddidisset.

III 5, 11: iterum homoeoteleuton verborum *συνασπιδοῦντες* et *μισοῦντες* sprevit. *ἐὰν ἀναλογίσησθε, αὐτίκα γνώσεσθε* . . homoeoteleuton.

III 5, 12: *οἱ ἐν μὲν τῷ πρὸς ὑμᾶς πολέμῳ κ. τ. λ. ἐπεὶ δ'ἔπραξαν κ.τ.λ.* antitheton. Si genetivos in utriusque membri fine posuisset, membrorum exitus similes essent facti hoc fere modo: . . . *λιπαρούμενοι μετεῖχον ὑπ' ἐκείνων πάντων καὶ πόνων καὶ κινδύνων καὶ τῶν δαπανημάτων ἐπεὶ δ' ἔπραξαν κ. τ. λ. Λακεδαιμόνιοι, ποίας μεταδεδώκασιν αὐτοῖς ἢ ἀρχῆς ἢ τιμῆς ἢ ποίων χρημάτων.*

III 5, 13: *ἀντὶ γὰρ ἐλευθερίας διπλῆν αὐτοῖς δουλείαν παρεσχήκασιν* res contrariae sibi opponuntur.

III 5, 14: *ὅτε μὲν γὰρ ἤρχετε κ. τ. λ. νῦν δὲ πάντων καὶ ἡμῶν κ. τ. λ.* antitheton *καίτοι ἦμεν πολλοῦ ἄξιοι καὶ ἐκείνοις σύμμαχοι κ. τ. λ. νῦν δέ γε εἰκός . . .* antitheton. Bis incipit alterum membrum a verbis *νῦν δέ. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ . . . ἀλλ' ὑπὲρ . . .* antitheton. Similiter ultima in paragrapho tria antitheta legimus.

III 5, 15: . . *ὅτι ἡ Λακεδαιμονίων πλεονεξία πολὺ εὐκαταλυτωτέρα ἐστὶ τῆς ὑμετέρας γενομένης ἀρχῆς.*

ὑμεῖς μὲν γὰρ ἔχοντες ναυτικόν κ. τ. λ. οὗτοι δὲ ὀλίγοι ὄντες κ. τ. λ. Quo loco homoeoteleuton non usurpavit, quamquam dicere potuit *ὑμεῖς μὲν γὰρ ἔχοντες ναυτικὸν ἤρχετε ναυτικὸν οὐκ ἐχόντων, οὗτοι δὲ ὀλίγοι ὄντες πλεονεκτοῦσιν πολλαπλασίων ὄντων καὶ οὐδὲν χεῖρον ὡπλισμένων νομίζομεν κ. τ. λ.*: Si alteri membro *πόλει* addidisset, iterum membrorum exitus similes fecisset.

Nunc iam afferamus locos, quibus invenias alias, quae a rhetoribus vocantur, figuras. Uno loco III 5, 10 paronomasiam adhibuit, dicens *ὅτε πλείστων . . . τότε πλείστους.*

III 5, 12: bis polysyndeton usurpavit verbis *καὶ* et *ἢ* adhibitis. *μεταδώκασιν αὐτοῖς*; Eademque sententia est erotema, itemque

III 5, 10: *τοῦτο . . βοηθοῖτε;*

III 5, 11: *τίς . . εὐμενής;*

III 5, 13: *νῦν . . αὐτούς;*

III 5, 14: *πῶς . . γενέσθαι;* Eadem in paragrapho polysyndeton usurpavit. Adde quod hoc uno loco in prima et altera Hellenicorum parte climacem adhibuit. Quamquam F. O. Wissmann (de genere dicendi Xenophonteo, Diss. Giessen 1888 p. 6 sq.) climacis definitionem, quam rhetores recentiores proferunt, Xenophonteae gradationi non convenire affirmat.

Alexander enim *περὶ σχημ.* III 31 (Spengel) climacem ita definit: *κλῖμαξ δὲ γίγνεται, ὅταν ἐπὶ πλεῖον μηκύνοντες τὸ προκείμενον κεφάλαιον καθ' ἕκαστον κόμμα τὴν αὐτὴν λέξιν τὴν ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν ποιήσωμεν* et exemplum laudat Dem. de cor. 179: *καὶ οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδὲ ἔγραψα μέν, ἐπρέσβευσα δέ· οὐκ ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους.*' Tam exculta atque perfecta climace Xenophon sane non utitur, sed graviorem rem leviori vel leviorem graviori sive coninuctam sive nulla coniunctione addit. Hoc vero loco (Hell. III 5, 14) graviorem rem leviori verbo *καὶ* conjunctam addit. Sed Demosthenes verba hunc fere in modum posuisset: *νῦν δὲ οὐ*

μόνον πάντων ἡμῶν ἀλλὰ Πελοποννησίων, καὶ οὐ μόνον πάντων Πελοποννησίων ἀλλὰ ὧν πρόσθεν ἤρχετε, καὶ οὐχ ὅτι ὧν πρόσθεν ἤρχετε ἀλλ' αὐτοῦ βασιλέως τοῦ μεγίστην δύναμιν ἔχοντος ἡγεμόνες ἂν γένοισθε. Sed hactenus de climace. — Compluribus locis III 5, 8. 10. 15 Athenienses appellat *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.*

His locis collatis quibus schemata Xenophontem usurpasse dicas, non totidem exempla in hac oratione quot in Euryptolemi nedum Critiae vel Theramenis inveniri luculenter apparet. Figurae enim, quae dicitur *ἀντίθετον*, quamquam satis perspicua exempla inveniuntur in hac Thebanorum oratione, similiter desinentibus uno excepto exemplo III 5, 11 omnino caret. Xenophontem itaque hanc Thebanorum orationem non eadem diligentia neque arte ac Critiae vel Euryptolemi orationes ornasse manifestum est. Attamen nemo negabit eum hanc quoque orationem idcirco inseruisse, quamquam non artificiosissime eam composuit, ut rerum gestarum narrationem ornaret atque vividiorem redderet.

Eandem vero ob causam brevem Timolai Corinthii orationem inseruit (IV 2, 11—12). Consilio sociorum convocato (cf. *ὦ ἄνδρες σύμμαχοι)* Timolaus paucis exponit, quibus condicionibus optime proelium sint commissuri. Revera nihil refert, quis haec verba faciat, neque Timolaum hanc orationem reapse habuisse mihi verisimile videtur, quare accedere nequeo ad J. Brunsii sententiam, qui (p. 402) Timolaum revera hostes cum vespis comparavisse arbitrabatur. Vespas Graecis non ignotas fuisse ex Aristophanis comoedia, quae *σφῆκες* inscribitur, satis elucet. Atque Xenophon rerum rusticarum peritissimus, quin vespas cognoverit nemo negabit: ergo vere Xenophontea videtur altera haec comparatio ex vita rustica deprompta.

Quod vero Timolaus hostes cum magnis amnibus comparat, haec contentio etiam magis Xenophontis est, qui ipse amnes Asiae viderit, cum ipsa in Graecia nulla essent flumina magna. Cuius rei argumentum etiam

duci potest ex Anabasi III 2, 22, quo loco Xenophon, ut milites commoveat, ne magnis fluviis iter impeditum iri existiment, iisdem fere verbis utitur [1]).

Quae cum ita sint Xenophontem comparationes non nisi ornandi causa Timolao tribuisse consentaneum est. Adde quod Lacedaemoniis iam in agrum Sicyoniorum (IV 2, 14) progressis Corinthii eorumque socii facere omnino non poterant, ut de proelio procul a Corintho committendo cogitarent.

Itaque ex ipsis quae proferuntur sententiis satis elucet, hanc orationem ex ipsius scriptoris ingenio ac mente esse prognatam.

Non solum ut narrationem vividiorem redderet sed etiam ut Dercylidam laudibus atque honore afficeret, hunc ducem IV 8, 4 dicentem induxit. (cf. p. 44 et 56).

Pharnabazus enim et Conon, etsi harmostis Lacedaemoniorum ex insulis et urbibus maritimis expulsis, multos sibi socios adiunxerant, Abydum et Sestum tenebat Dercylidas. Qui Abydenis convocatis ut vel in rebus adversis Lacedaemoniis fidem praestent audientes admonet. Quam ob causam pulcherrima sententia adhibibita Lacedaemonios ad amicis bene, inimicis male faciendum multum valere affirmat.

Quam Dercylidae orationem Xenophon non ipse audivit, cum iisdem temporibus Agesilao duce stipendia faceret. Dercylidam vero ita loquentem finxit, ut rerum condicioni eius verba quam maxime convenire videantur atque haud scio an summam fere sententiam vere habitae orationis servaverit.

Amore Agesilai incensus Xenophon etiam ad Teleutiae, fratris eius, admirationem adductus esse videtur; quem V 1, 14—17 classiariis convocatis magno militum gaudio acceptum ita dicentem induxit ut eum pariter atque Agesilaum hominem fortissimum strenuissimumque fuisse cognoscamus. Qui quamquam stipendium militibus persolvere non potest, tamen benevolentiam eorum sibi

---

1) Haec scripsi F. Muenzero magistro spectatissimo auctore.

conciliat. Affirmat enim milites non miserius se habere ipso duce; immo semet ipsum potius duos per dies esurire se malle quam milites in unum diem fame premi. Famis et sitis et aestus et frigoris et omnium laborum patientes sint neccesse est, si summam gloriam adipisci cupiant. Quae verba militibus ita probantur, ut acclament; *οἱ δὲ πάντες ἀνεβόησαν παραγγέλλειν ὅ τι ἂν δέῃ, ὡς σφῶν ὑπηρετησόντων.* (V 1, 18). Teleutias vero cum duodecim navibus ipsum Piraeum noctu invadere ausus aliquot Atheniensium navibus abreptis Aeginam reversus e praeda nautis et militibus stipendia numeravit. (V 1, 18—24.)

Banderet primus (p. 24 sq.) quantum scio Xenophontem Teleutiae expeditioni interfuisse opinatus est. Certe vero si ipse expeditioni non interfuit, ab arbitro, qui ipse omnia vidit atque bene observavit, certior factus est de his rebus.

Atque etiam figuris verba, quibus Teleutias militum animos accendere studet, exornata sunt.

V 1, 14: *χρήματα μέν . . ἐὰν μέντοι . .* antitheton. *καὶ πρόσθεν . . . καὶ νῦν . . .* antitheton. *ἀνέῳκτο . . . ἀνεῴξεται . .* paronomasia.

V 1, 15: *ὅταν ὑμεῖς . . τότε καὶ ἐμέ . .* antitheton. *ἂν δὲ ἀνεχόμενόν με ὁρᾶτε . . . οἴεσθε καὶ ὑμεῖς* antitheton, cuius altero in membro polysyndeton adhibuit.

V 1, 16: *καὶ ὑμεῖς οὖν . . . νῦν δὲ . . .* antitheton. *ἡδέως μέν . . . ἡδέως δέ . . .* Quo loco coniunguntur et parison et anaphora et homoeoteleuton.

V 1, 17: erotema.

Quibus locis allatis Xenophontem hanc Teleutiae orationem summa diligentia atque arte composuisse cognoscimus. Praecipue verba V 1, 16 *ἵν' ἡδέως μὲν ξυμπονῶμεν κ. τ. λ.* quasi florent virentque.

Alteram Hellenicorum partem iam supra diximus orationibus omnino fere carere. Tertio libro Thebanorum orationem inseruit, quarto in libro Timolaum et Dercylidam pauca verba dicentes finxit, ultimo denique capite

huius partis Teleutiam loquentem audimus. Abundat autem haec altera pars brevibus dialogis. Qui sermones iis dialogis, quos et Plato et ipse Xenophon philosophicis in scriptis publici fecerunt iuris, comparari vix possunt, immo simplicem Herodoti sermonum redolent rationem, atque Xenophontem, ut in scriptis philosophicis dialogi formam adhiberet exemplo Socratis, qui colloquendo cum discipulis rerum causas explicare solebat, atque Platonis aliorumque Socraticorum scriptis impulsum esse pro certo affirmari licet, hos in Hell. qui sunt sermones e vita potius duxisse et quae audiverat recordatus atque imitatus colloquia sua quadam propria sermocinandi facultate videtur composuisse. Itaque indole ingenioque Xenophontis ipsius factum est ut sermonibus illis insertis et homines et res paucis illustret atque summo vivacitatis colore fingat atque pingat. Sed haec sermonum haud ineleganter fingendorum facultas Xenophontis profecto aucta atque exculta est consuetudine ac familiaritate, qua coniunctus fuerat cum Socrate. Hoc artificio quoniam utitur, Xenophon valde distat a Thucydide [1]) qui octo in libris unum habet colloquium: V 85—113 Athenienses cum Meliis, priusquam hostilia facere coeptant anno 416, de belli ac pacis condicionibus sermonem habentes inducit. Praeterea sermonis quasi fragmenta sunt in Thucydide II 71—74, quo loco Plataeenses cum Archidamo de Plataeis oppugnandis loquuntur. Xenophon autem huic alteri Hell. parti hos sex dialogos intexuit [2]),

III 1, 22—28	Colloquium	Dercylidae et Midiae.
III 3, 2—3	„	Leotychidae et Agesilai.
III 4, 5	„	Tissaphernis et Agesilai.
III 4, 9	„	Lysandri et Agesilai.
IV 1, 4—15	„	Spithridatis, Otyis, Agesilai.
IV 1, 32—38	„	Pharnabazi et Agesilai.

1) de hac re cf. R. Hirzel, D. Dialog I (Lpz. 1895) p. 172.

2) Et Anabasi et Cyri institutioni etiam plures sermones inseruit quam Hellenicis. cf. Hirzel I 161 de Anab., I 168 de Cyri inst.

IV 1, 39 pauca sermonis verba ab Agesilao et Pharnabazi filio habiti legimus. In dialogorum numero etiam referri potest illa oratio, quam Xenophon tertia in Hell. parte VI 1, 4 sq. a Polydamante Pharsalio, ut de sermone cum Iasone instituto referret, haberi fecit. Sed de hac oratione infra accuratius disputabo. Omnibus in sermonibus Xenophon duas personas loquentes induxit excepto illo colloquio Agesilai cum Spithridate et Otye habito. (de colloquentium numero cf. Hirzel I 207 sq.)

Persona princeps primi dialogi III 1, 22—28 est Dercylidas[1]; de cuius ingenio moribusque Xenophon III 1, 8 breviter refert, dicens *ἀνὴρ δοκῶν εἶναι μάλα μηχανητικός· καὶ ἐπεκαλεῖτο δὲ Σίσυφος.* Xenophontem ei multum tribuisse ex iis quae *ὁ τῶν Κυρείων προεστηκώς* (III 2, 7) Lacedaemoniorum legatis respondet et ex oratione, quam Dercylidam Abydenis convocatis habuisse memoriae prodit (IV 8, 4) supra iam vidimus. Hoc vero colloquium ea potissimum de causa ut Dercylidae mores cognosceremus, compositum esse apparet: Midias enim postquam Maniam socrum interfecit, eius fines invaserat eiusque opes rapuerat. Ad quem ulciscendum Dercylidas profectus Scepsin et Gergitha urbes astu occupavit et magnis, quas Mania collegerat, pecuniis ditatus Midiae paterna bona concessit militesque eius sibi addixit mercennarios. Dercylidae vero pietatem ex verbis de sacrificio faciendo (III 1, 22) intellegimus. Verbis autem (24) *αἰσχρὸν ἐμὲ τεθυκότα ξενίζεσθαι ὑπὸ σοῦ, ἀλλὰ μὴ ξενίζειν σέ,* Xenophon Dercylidae urbanitatem significat. Ceterum hoc dialogo prudentiam illius calliditatemque optime illustrari Xen. suo iure putabat. — Restat ut illos locos ex hoc colloquio conferamus, quibus schemata Xenophontem usurpasse dicas.

III 1, 24: *οὔ, μὰ Δί', κ. τ. λ.* et verba conficiunt orationem contrariam, et paria paribus redduntur et verba

[1]) de Dercylida cf. Niese, P. W. V 240 sq.

consonantia eiusdem stirpis *ξενίζεσθαι* — *ξενίζειν* legimus. Adde quod initio Iovem invocat. In sequenti paragrapho III 1, 25 tres sententiae ab eodem pronomine *πόσαι* vel *πόσοι* incipiunt. — Uno loco 25 verbum *ἔφη* vel *ἠρώτα* omisit.

IV 3, 2 Agesilaum cum Dercylida loquentem Xen. induxit, ut regem ipsum Dercylidam magni aestimavisse atque cum eo familiari consuetudine coniunctum esse cognosceremus. Pugna enim in agro Sicyoniorum a Lacedaemoniis feliciter gesta atque Agesilao nuntiata, rex Dercylidam continuo civitatibus Asiaticis victoriam partam nuntiare iubet, cum illum ad nuntium perferendum maxime idoneum esse existimet. Simul vero gratissimum facit Dercylidae, *καὶ γὰρ ἀεὶ φιλαπόδημος ἦν.* Iterum uno loco Xenophon verbo *ἔφη* omisso interrogationem Dercylidae responsioni artissime adnexuit: *εὐθυμοτέρους γοῦν κ. τ. λ.*

Agesilaus ceterorum quinque dialogorum est princeps. Iam supra dixi Xenophontem ingenti Agesilai admiratione tentum esse atque ablatum; neque meum est, de ingenio moribusque Agesilai exponere. Videsis E. Schwartz (Rh. M. 44 (1889) p. 169 sq.), qui moribus ingenioque illius regis descriptis (p. 173) sane miratur, quam ob causam Agesilaus tantam Xenophontis admirationem habuerit, ut obstupefactus quasi videatur. Ut Agesilai mores illustraret atque praedicaret, Xen. has 5 dialogos inseruit, ne de hoc viro fortissimo piissimoque suis verbis referre opus esset. Qua ratione Thucydideae artis legibus quasi fraudem fecit (cf. Bruns p. 40 sq.).

III 3, 2—3: Agide mortuo Agesilaus cum Leotychide de regno contendit; huic vero ille iustior regni successor praelatus est. Cuius colloquii Xenophon in illo quoque libro qui Agesilaus inscriptus est, mentionem fecit; sed in Agesilao breviter hoc colloquium complectitur I 5: *ὥς γε μὴν καὶ πρὶν ἄρξαι ἄξιος τῆς βασιλείας ἐδόκει εἶναι Ἀγησίλαος, τάδε τὰ σημεῖα. ἐπεὶ γὰρ Ἆγις βασιλεὺς ὢν ἐτελεύτησεν, ἐρισάντων περὶ τῆς ἀρχῆς*

Λεωτυχίδα μὲν . . , Ἀγησιλάου δὲ . . κ. τ. λ. Hoc vero Agesilai cum Leotychida colloquium quod est in tertio Hell. libro, maiorem movet delectationem, quod Xenophon, quamquam ipse huic sermoni non interfuit, tamen quanta poterat fide narravit. Quam ob causam Agesilaum Leotychidamque Dorice loquentes induxit, scil. eodem modo, quo ni fallimur ab Agesilao ipso de colloquio certior factus est. Primum Leotychidam Doricum illud *κα* pro usitato *ἄν* atque *ὥς* pro *οὕτως* dicentem facit. Quam ob causam scriptorem Agesilaum sermone communi *ἄν δέοι* respondentem fecisse verisimile non est, sed optimo iure Gautier (p. 25) *ἐμέ κα δέοι βασιλεύειν* scribendum esse coniecit. Adde quod Xenophon usurpavit Doricum *τύ* pro *σύ*, *Ποτειδάν* pro *Ποσειδῶν*, *σευ* pro *σου*, *ψευδομένω* pro *ψευδομένου*. *ἡ πολὺ κάλλιον ἐκείνου εἰδυῖα μήτηρ*: apud Gautier[1]) legimus, où *κάλλιον εἰδέναι* n'est pas habituel, mais agréablement ironique à la mode spartiate, et l'épithète *ὁ ἀληθέστατος λεγόμενος χρόνος εἶναι.* Quo in dialogo Xenophon quasi ipsos induxit loquentes, neque *ἔφη* neque *ἀπεκρίνατο* utriusque interlocutoris sententiis interposuit, ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur.

III 4, 5 Agesilaus ut liberaret Graecorum in Asia habitantium civitates se venisse Tissapherni aperit, quam ob causam indutias facit cum Tissapherne iureiurando interposito, dum hic a rege illud impetraverit. Cuius cum Tissapherne habiti colloquii Xen. etiam in Agesilao iisdem fere atque in Hell. verbis mentionem fecit: Agesil. I 10—11: *Τισσαφέρνης μὲν ὤμοσεν Ἀγησιλάῳ εἰ σπείσαιτο, ἕως ἔλθοιεν οὓς πέμψειε πρὸς βασιλέα ἀγγέλους, διαπράξεσθαι αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας, Ἀγησίλαος δὲ ἀντώμοσε σπονδὰς ἄξειν ἀδόλως, ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας. ὁ μὲν δὴ Τισσαφέρνης ἃ ὤμοσεν εὐθὺς ἐψεύσατο· κ. τ. λ.*

III 4, 9 Agesilaum cum Lysandro disputantem

1) p. 26.

audimus. Graeci enim qui in Asia habitabant Lysandrum ita colebant atque servabant, ut ipse regis, Agesilaus vero privati hominis speciem haberet. Cum vero Lysander ea re Agesilaum offendi sensisset, petiit ab eo, ut sibi alibi munus aliquod gerendum adsignaret. Quo in colloquio Agesilaum Iove invocato *ἀντίθετον* dicentem fecit *καὶ μὰ Δί', τούς γε βουλομένους κ. τ. λ.*

Maiore vero artis studio Xenophon sermonem Agesilai cum Spithridate et Otye habitum composuisse videtur: IV 1, 4—15. Spithridate auctore Agesilaus in Paphlagoniam profectus cum Otye rege init societatem: cui matrimonio iungit Spithridatis filiam. De quibus rebus loquentem Agesilaum tria antitheta dicentem fecit:

IV 1, 8 *ὥσπερ ἐκεῖνον* . . . IV 1, 10 *ἐγὼ μέντοι κ. τ. λ.*, quo loco pulcherrima sententia usus ést; IV 1, 14 *ἐμοὶ μὲν* . . . Compluribus locis erotemata inseruit; dico IV 1, 6 *τί δ'οὐ μέλλω*; IV 1, 7 *οὗ τί ἀνδρὶ ἥδιον*; IV 1, 9 *καὶ μὲν . . γήμει; ποίαν . . προπέμψειαν ἄν*; IV 1, 13 *τί ἄν τις μακρολογοίη*; Ter dei invocantur: IV 1, 6. 1, 10. 1, 14.

Ut Agesilai mores — id quod jam supra dixi — illustraret atque praedicaret, et dialogos et singula regis dicta protulit. Ex iis quae III 4, 5 cum Tissapherne dicentem facit: *ἀλλὰ βουλοίμην ἄν* (scil. *σπείσασθαι), εἰ μὴ οἰοίμην γε ὑπὸ σοῦ ἐξαπατᾶσθαι* summa eius prudentia atque belli peritia apparent. Idem fere dicere possumus de iis, quae regem III 4, 26 Tissapherne trucidato legatis a Tithrauste missis respondentem facit, vel IV 6, 13, quo loco Acarnania vastata eorumque copiis fusis, cum eum parum satisfecisse Achaei putarent, Agesilaum se insequente anno bellum redintegraturum promittentem facit; *ἐγὼ μὲν γὰρ στρατεύσομαι πάλιν δεῦρο εἰς τὸ ἐπιὸν θέρος· οὗτοι δὲ ὅσῳ ἂν πλείω σπείρωσι, τοσούτῳ μᾶλλον τῆς εἰρήνης ἐπιθυμήσουσιν.*

Ex colloquio cum Dercylida habito IV 3, 2 non solum prudentia regis bellique peritia apparet, sed etiam

humanitas. Quam ut admiremur, etiam colloquio Agesilai cum Lysandro habito III 4, 9 nos adducere vult, vel sermone illo cum Spithridate Otyeque IV 1, 4—15, vel verbis quibus Agesilaus ad patriam defendendam domum revocatus socios in Asia consolatur IV 2, 3 *ἐὰν μέντοι ἐκεῖνα* scil. in patria *καλῶς γένηται, εὖ ἐπίστασθε, ἔφη, ὦ ἄνδρες σύμμαχοι, ὅτι οὐ μὴ ἐπιλάθωμαι ὑμῶν, ἀλλὰ πάλιν παρέσομαι πράξων ὧν ὑμεῖς δεῖσθε.* Aliis locis velut IV 1, 14: *ἐμοὶ μὲν τοίνυν, ἔφη, δοκεῖ, ὁ Ἀγησίλαος, σὲ μέν, ὦ Σπιθριδάτα, τύχῃ ἀγαθῇ διδόναι Ὄτυϊ τὴν θυγατέρα, σὲ δὲ λαμβάνειν,* regis pietas manifestatur.

Clariore vero modo, qualis fuisset Agesilaus vir summe venerandus, demonstrare Xen. non poterat quam colloquio illo inserendo quod cum Pharnabazo habuit rex IV 1, 29 sq. Plurimum huic dialogo tribuisse auctorum inde patet, quod ad illum componendum ornandumque summam artem atque diligentiam adhibuit. Moram enim in exhibendo rerum progressu faciens fuse lateque describit, quomodo Agesilaus et Pharnabazus convenerint, quae in colloquio tractaverint. Pharnabazo regio cum apparatu ad locum constitutum accedente servi accurrunt, ut vellera sternant, *ἐφ' ὧν καθέζονσιν οἱ Πέρσαι μαλακῶς* (IV 1, 30), cum Agesilaus eiusque socii illa quae Lacedaemoniorum propria esse solet modestia atque parsimonia usi in gramine considant. Quod ubi vidit Pharnabazus, splendidi luxus pompaeque eum pudet, *κατεκλίθη οὖν καὶ αὐτὸς ὥσπερ εἶχε χαμαί* (IV 1, 30). Deinde Xenophon quasi pingendo explicare pergit, quomodo illi primum inter se consalutaverint verbis, *ἔπειτα τὴν δεξιὰν προτείναντος τοῦ Φαρναβάζου ἀντιπρούτεινε καὶ ὁ Ἀγησίλαος.* (IV 1, 31). Non potuit sane auctor melius illustrare regis indolem quam describendo, quomodo Agesilaus modestia sua satrapem commoverit. Ipsum autem colloquium legentes denuo adducimur ut mores regis miremur, qui sine ulla superbia religione solum ac fide erga patriae leges permotus hoc appetit unum, quod iustissimum est. Quam ob

causam admirabili cum magnanimitate etiam hostis pudorem atque officium veretur, dicens *εἴθ', ὦ λῷστε σύ, τοιοῦτος ὢν φίλος ἡμῖν γένοιο.* (IV 1, 38). Unumquodque fere huius dialogi verbum aptum est, quod nobis amorem admirationemque regis iniciat. Qua Agesilai summa virtute etiam satrapae filius ita commovetur, ut patre profecto clam apud Agesilaum remaneat hospitioque regis quaesito et accepto dona det et recipiat. *τότε μὲν οὖν ὁ παῖς ἀναπηδήσας ἐπὶ τὸν ἵππον μετεδίωκε τὸν πατέρα* (IV 1, 39). Ita auctor his, quae Agesilaum Persasque dicentes agentesque facit, pulcherrime illustrat, qua fuerit indole ille rex Lacedaemoniorum, cuius virtus atque humanitas animos cum aequalium tum Xenophontis ipsius omnino ceperat. Qua ex admiratione Xenophontem Socratis discipulum fuisse iterum facile intellegitur, qui non facta sed mores hominum maioris momenti esse putabat.

Huius quod ab Agesilao et Pharnabazo habitum est colloquii Xenophon in illo quoque libro qui Agesilaus inscriptus est, mentionem fecit, cum *περὶ εὐσεβείας* Agesilai verba faciat, unde intellegi potest, quid hoc colloquio Xenophon spectaverit. Comparemus colloquium Hellenicis insertum cum iis, quae de hoc dialogo in Agesilao qui fertur dicit. In Hellenicis colloquium longius uberiusque exponitur, cum in Agesilao unam Pharnabazi sententiam ipsius verbis scripserit. Quae sententia verbum fere pro verbo concinit cum iis quae in Historia Graeca eum dicentem fecit. Hell. IV 1, 37: *ἐὰν μέντοι μοι τὴν ἀρχὴν προστάττῃ, εὖ χρὴ εἰδέναι ὅτι πολεμήσω ὑμῖν ὡς ἂν δύνωμαι ἄριστα.* Agesil. III 5: *ἢν μέντοι ἐγὼ γένωμαι στρατηγός, πολεμήσω ὡς ἂν ἐγὼ δύνωμαι κράτιστα.* Quod Agesilai cum Pharnabazo habitum colloquium quomodo optime ornaret plurimum Xenophontis interfuisse consentaneum est.

IV 1, 32 *καὶ τὸ μὲν ναυτικὸν κ. τ. λ.* antitheton;

IV 1, 36 *οὐδὲ μέντοι τοῦτό σε κελεύομεν κ. τ. λ.* duo antitheta;

IV 1, 33 *κατακεκομμένα .. κατακεκαυμένα* homoeoteleuton;

IV 1, 37 *ἐὰν βασιλεύς κ. τ. λ.* parison et homoeoteleuton.

Postremo antequam de sermonibus alteri Hell. parti insertis disputandi finem facimus, afferenda mihi videntur, quae de Xenophonte et de Agesilao Gautier (p. 31) suo iure contendit. Qui Xenophontem, quamquam Lacedaemonios valde admiratus esset, et Laconum moribus studuisset, tamen natura atque indole semper Atheniensem fuisse affirmat. „En particulier, pergit Gautier p. 31, ce qu'on appelle tout court le laconisme, c'est-à-dire la concision et surtout la concision ramassée, vigoureuse et mordante, telle que l'a décrite C. O. Müller, Dorier II (Breslau 1844 [2]) p. 377 sq., est véritablement à l'antipode de son style habituel.“ Veri enim Laconis est *ἡ βραχυλογία ἐγγὺς τῷ σιγᾶν*, quam Homerus Menelao assignavit *Γ* 212 sq.:

ἀλλ' ὅτε δὴ μύθους καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον,
ἤ τοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευεν,
παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος
οὐδ' ἀφαμαρτοεπής· ἦ καὶ γένει ὕστερος ἦεν.

Idem de Xenophontis Agesilao dici vix potest; ut Agesilaum virum vere Lacedaemonium describeret, sane non satis successit, at Callicratidem Laconem Lacedaemoniis propinquissimum finxit. Hic quomodo se gesserit, quae verba Lysandro responderit, orationes quas contione convocata habuerit, narranti Xen. sane contigit, ut nobis verum Spartanum demonstraret, *ἀδύνατον ὡς Λακεδαιμόνιον εἰπεῖν*, ut illud Thucydidis significem (Thuc. IV 84 *ἦν δὲ Βρασίδας οὐδὲ ἀδύνατος, ὡς Λακεδαιμόνιος, εἰπεῖν*).[1])

---

§ 3.
De tertia Hellenicorum parte (V 2—VII).

Restat ultima Hellenicorum pars qua Xenophon narrat

1) Lacedaemonios superba atque impotentissima

---

[1]) de Lacedaemoniis cf. M. Goebel, Ethnica Diss. Vratislaviae 1915. p. 45 sq., qui p. 51 sq. brevitatem orationis Laconicam commemorat.

usos dominatione Graecorum res pessime atque iniustissime tractasse V 2—3;

2) Thebani quomodo se corroboraverint atque surrexerint V 4—VI 3;

3) Lacedaemonios atque Athenienses unanimos utpote Thebanorum hostes se coniunxisse VI 4—VII 5.

Cui ultimae parti (V 2—VII) Xenophon plurimas orationes neque pauca singula dicta inseruit, dialogos omnino fere praetermisit.

Sed iam primam ad partem accedamus, qua (V 2—3) Lacedaemonii quomodo arma intulerint in Mantineenses, Phliasios, Olynthios, Thebanos Xenophon uno fere tenore quasi sit continua quaedam historia narravit. Atque hanc narrationem iisdem fere verbis incipi et absolvi sane notatu dignum est. Legimus enim V 2, 1 *τούτων δὲ προκεχωρηκότων κ. τ. λ.*, V 3, 27 *προκεχωρηκότων δὲ τοῖς Λακ. κ. τ. λ.* Quam historiam Xenophon eodem fere modo ac mediam Hellenicorum partem conscripsit ut vir vere Lacedaemonius ipse esse videatur. Res vero paulo postquam factae sunt, conscriptas esse a Xenophonte Banderet[1]) satis luculenter demonstravit. — Primum de bello a Lacedaemoniis cum Mantineensibus gesto V 2, 1—7 narrat[2]). Lacedaemonii quam ob causam Mantineensibus irascantur, legati quidem ad Mantineenses missi exponunt; sed verba ipsa, quae Mantineae dixerunt, non legimus; argumenta tantum, quibus legati usi sunt, obliqua oratione

---

1) cf. Banderet, Unters. z. Xen. Hell. Diss. Berlin (Basel) 1919 p. 16 sq. Quem librum auctore praematura morte erepto E. Meyer edidit. Quae commentatio ad ultimam Hellenicorum partem recte aestimandam maximi est momenti. Praeterea cf. Busolt, Der 2. athenische Bund, Fleckeis. Ib. Suppl. VII (1874) p. 641 sq. — A. Schaefer, Demosth. und seine Zeit I Leipzig 1885[2] E. v. Stern, Gesch. d. spart. u. theb. Hegemonie v. Königsfrieden b. z. Schlacht b. Mantineia, Dorpat 1884. — Th. Fellner, zu Xen. Hell. (Hist. Unters. A. Schaefer gewidmet), Bonn 1882.

2) cf. Banderet p. 18 sq. — Beloch Griech. Gesch. III 1 p. 100 — E. Meyer Gesch. des Altertums. V 294 sq. Quo tempore res gestae sint, vide Beloch, Griech. Gesch. III[2] p. 230 sq. — Banderet Lacedaemonios vere anni 385 contra Mantineenses profectos esse putat, at Beloch Mantineam aestate anni 385 oppugnatam esse affirmat.

sic proponuntur, ut singula argumenta verbis *λέγοντες ὅτι - ἔφασαν - ἐλέγοντο δέ* introducantur.

Tum de bello cum Phliasiis gesto nos certiores facit V 2, 8—10. 3, 10—17. 21—25 [1]). Neque quae legati Phliasiorum Spartae de exsulibus revocandis dixerunt V 2, 8 (*ἐδίδασκον κ. τ. λ.*), neque quae Lacedaemonii Phliunte responderunt V 2, 9 (*ἔλεγον - ἔφασαν*), ipsorum verbis Xenophon memoriae prodidit. Eodem modo exsules Phliasiorum et V 3, 10 apud cives ipsos (*λεγόντων δὲ τῶν κατεληλυθότων*) et V 3, 11 de saevitia civium intolerabili Spartae conquerentes induxit (*λέγοντες ὅτι*). Atque eadem ratione pergunt V 3, 12: *ἐδίδασκον ὡς οὗτοι μὲν εἴησαν κ. τ. λ., οὗτοι δὲ κ. τ. λ.*, qua in sententia anaphoram habemus. Quo facto Agesilaus mittitur ut Phliasios ulciscatur (3, 13). Eorum vero, quae Lacedaemoniorum rex Phliasiis magno in timore versantibus prudenter respondit (V 3, 14. 15), duobus responsis obliqua oratione insertis (*ἀπεκρίνατο ὅτι - ἔλεγεν ὡς - ἔφη*), unam sententiam eius ipsius verbis Xenophon affert: *πάλιν ἀπεκρίνατο· ὅπερ καὶ πρόσθεν, ἔφη, ποιήσαντες οὐδὲν ὑφ' ἡμῶν ἠδικήθητε.* Ceterum neque orationem, quam legati Phliasiorum apud Agesilaum de oppido tradendo habuerunt (3, 23 *ἐδέοντο*) neque verba, quibus cum Agesilao disputaverunt (3, 25 *ἀπαγγέλλοντες ὅτι*) neque Agesilai de Phliasiorum rebus sententiam (3, 25 *οὕτως ἔγνω*)ipsorum dicentium verbis auctor reddidit. Quam Agesilai Phliasiam expeditionem Xenophon tam pulchre novit atque tam copiose narravit, ut eum interfuisse veri simile esse nemo negare possit. Ipse audivit, quomodo Agesilaus Phliasiis ter prudentissime responderit (V 3, 14. 15), stomachosos Lacedaemoniorum animos conciliaverit (3, 16—17). Ipse vidit regem suscensentem Phliasiis *ὅτι ἄκυρον αὐτὸν ἐποίουν* (3, 24). Atque haud scio an Banderet p. 19 idem arbitratus sit.

---

[1]) cf. Banderet p. 19 sq. Beloch G. G. III 1 p. 107 III 2 p. 231. 234. E. Meyer G. d. A. V 295 sq. 305 Beloch ineunte anno 379 Phliasios urbem dedidisse censet.

Verum enim vero Xenophon cum V 2, 11—24 de Olyntho[1] narrat, huic narrationi primam orationem a Cligene Acanthio (V 2, 12—19) contione Lacedaemoniorum convocata habitam ipsius verbis reddit.

Olynthus enim urbs cum propinquorum locorum incolae agris relictis domicilium in urbe ipsa collocavissent, magis in dies convalescebat ut Olynthii sive vim adhibuerunt, sive foedera fecerunt, brevi tempore multorum oppidorum principatum atque imperium obtinerent. Quae cum ita essent, alii eos libertatis auctores appellabant, apud alios ut hostes magnam in invidiam veniebant.

Quo factum est ut odium subirent et Amyntae[2] regis Macedonum et Acanthiorum Apolloniatarumque, qui legatos Spartam miserunt[3], ut quam periculosa sit Olynthiorum potentia, Lacedaemoniis ostenderent. Cuius legationis princeps Cligenes quidam Acanthius fuisse dicitur. Sed cum hoc nomen memoriae proditum non sit nisi a Xenophonte, Cligenis ipsius personam nihil paene dicas in oratione habenda valere, neque Xenophontem hoc loco legati ipsius sed civium, qui eum miserunt, sententias proferre[4]).

Incipit vero Cligenis oratio a prooemio, quod prima paragraphi 12 sententia continetur: re ipsa de qua est dicturus, prolata attentos efficere studet auditores. Pollicetur enim se de rebus magnis novis inusitatis verba facturum atque de rebus, quae totam ad Graeciam pertineant: *οἰόμεθα κ. τ. λ.* Sequitur narratio de magna

[1]) cf. Banderet p. 20 sq. Beloch gr. G. III 1 p. 106. III 2 p. 231 sq. E. Meyer G. d. A. V 304 sq. Quibus annis res gestae sint, vide et Banderet et ceteros: 382 Teleutias profectus est. 381 Teleutias diem supremum obiit. 380 Agesipolis e vita discessit. 379 Olynthum Lacedaemonii sub potestatem suam redegerunt.

[2]) de Amynta Macedonum rege cf. Kaerst P. W. I (2006) 14.

[3]) anno 382. cf. Beloch gr. G. III 1 p. 102 sq.

[4]) cf. orationem Thebanorum III 5, 8—15, quo loco Xenophon legati, qui verba fecit nomen omnino omisit. Similiter atque Cligenem IV 2, 11—12 Timolaum quendam nominat, qui ipse quoque in verbis dicendis nihil valet.

illa re, quae in Graecia oriatur: incipiens a verbis *ὅτι μὲν γὰρ τῶν ἐπὶ Θρᾴκης κ. τ. λ.* V 2, 12 Cligenes quantopere Olynthiorum civitas in dies crescat, exponit. Olynthios enim non solum oppidorum vicinorum sed etiam Macedonum Amynta rege omnino fere expulso imperium occupavisse, quin etiam incolas Acanthi et Apolloniae oppidorum in potestatem suam redigere iis in animo esse. V 2, 14 incipit argumentatio, qua Cligeni comprobandum est,

1) Olynthios tantopere valere ut civitates nisi iuvarentur, resistere non possint.

2) Lacedaemoniorum potissimum esse civitates illas iuvare.

Quae argumentationes re vera separatae non sunt. Docemur enim

1) Olynthiorum maximum esse exercitum (V 2, 14).

2) Atheniensibus et Thebanis foedus cum Olynthiis facere in animo esse. Quo facto verendum esse ne Lacedaemonii vim illorum non frangant (15 . . *ὅπως μὴ . . ὑμῖν*).

3) Potidaea urbe quae *ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Παλλήνης* sita est subacta Olynthios brevi totam paeninsulam occupaturos esse. Argumento esse, quod civitates ibi sitae, quamquam Olynthii iis invisissimi sint, metu fractae ac debilitatae legatos mittere ausae non sint. (V 2, 15 *ἐπεὶ δὲ καὶ Ποτείδαιαν κ. τ. λ.*).

4) Verbis *ἐννοήσατε δὲ καὶ τόδε* novum argumentum affertur: Fieri non posse ut Lacedaemonii, cum diligenter animos attendant, ne Thebani corroborentur, maiorem Olynthiorum vim nimia neglentia usi contemnant, praesertim cum Olynthii non solum terrestribus sed etiam maritimis rebus in dies magis valescant (16) [1].

---

[1]) Verbis quibus Xenophon §§ 15 et 16 incipit argumentationem, dicens *τεκμήριον δ' ἔτι ἔστω ὑμῖν* vel *πῶς εἰκὸς ὑμᾶς κ. τ. λ.* reminiscimur *ἐπιχειρήματος* ab Isocrate exculti, quamquam illa argumentandi forma ipsa usus non est (cf. Münscher in Satura Viadrina Breslau 1896 p. 39 sq.).

Quo loco Xenophon Cligenem ἀπὸ τοῦ εἰκότος res comprobantem facit: πῶς εἰκός κ. τ. λ.

5) Thraces quin etiam ab Olynthiis in deditionem acceptum iri (17). Thracibus vero in officio manentibus Olynthios etiam aurarias Pangaei montis suo imperio subiecturos esse.

6) Quae argumentatio ultimis paragraphi 17 atque primis paragraphi 18 verbis ad finem perducitur: quo loco legatus affirmat, omnia quae exposuerit, saepissime ἐν τῷ τῶν Ὀλυνθίων δήμῳ tractata esse; tantos spiritus populum sibi sumpsisse.

V 2, 18 verbis ἡμεῖς μὲν οὖν, ἐξαγγέλλομεν ὅτι οὕτω τἀκεῖ ἔχει· ὑμεῖς δὲ βουλεύεσθε, εἰ δοκεῖ ἄξια ἐπιμελείας εἶναι exorditur perorationem. In perorando vero Olynthios invictos esse negat, cum omnes illas civitates quae invitae in potestatem illorum se permiserint, statim adversariorum partes sint secuturi atque rebellaturi Lacedaemoniis adiutoribus.

Quae oratio generi deliberativo attribuenda est. Xenophon vero cum illis annis Scillunte domicilium collocavisset, Cligenis orationem ipse audivisse non videtur. Immo orationem quam apud Xenophontem legimus, etsi veri simile est legatos sic fere locutos esse, a rerum scriptore ipso inventam esse licet contendere atque eam quidem ob causam, ut nos de Olynthiis quam accuratissime certiores faciat, quippe qui illis temporibus id sequerentur, ut omnis illius paeninsulae, cui nomen fuit Chalcidice, civitates ut una fieret res publica se coniungerent, commercio connubioque (V 2, 19) ad vitae victusque communitatem inter se consociarent, omnium cives iisdem legibus temperarent (V 2, 12).

Sed quamquam nemo negabit illam orationem a Xenophonte multo post conscriptam esse, tamen argumentum, quod Banderet p. 20 attulit, ut inepte eam fictam esse demonstraret refellendum puto. Banderet enim Xenophontem, qui Thebanos idem atque Olynthios

spectare Cligenem dicentem faciat (V 2, 16 *ὅπως μὴ καθ' ἓν εἴη)*, in errore versari affirmat, quia ante annum 386 Thebanos id non egisse ex Oxyrh. Hell. eluceat. Qua in argumentatione virum doctum fugisse arbitror legatos illos duce Cligene anno 382 Spartam venisse.

Qua oratione habita *ἐδίδοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι συμμάχοις λόγον καὶ ἐκέλευον συμβουλεύειν ὅτι γιγνώσκει τις ἄριστον τῇ Πελοποννήσῳ τε καὶ τοῖς συμμάχοις.* (Hell. V 2, 20). Sed quae hac de re disputata sunt, non ipsorum dicentium verbis Xenophon profert sed oratione obliqua hoc loco usus est. Imprimis quae Acanthii *πάλιν ἐδίδασκον*, magni momenti sunt (*βέλτιον οὖν ἔφασαν εἶναι κ. τ. λ.*). Attamen scriptorem omnia quae facta sunt bene scivisse ex iis quae memoriae tradidit elucet [1]). Cum Lacedaemoniis in animo esset, bello se interponere, multi ut bellum pararent suadebant. Per quorum sententias legati id assecuti sunt, quod magnis precibus petiverant.

Sed iam ad orationem ipsam recurrendum. Atque primum afferamus *ἀντίθετα* sive contraposita et *πάρισα* et *ὁμοιοτέλευτα*, quae schemata plerumque cum antithetis coniuncta apud Xenophontem inveniuntur. V 2, 16 *ἐννοήσατε δὲ καὶ τόδε, πῶς εἰκὸς ὑμᾶς τῆς μὲν Βοιωτίας ἐπιμεληθῆναι ὅπως μὴ καθ'ἕν, πολὺ δὲ μείζονος ἀθροιζομένης δυνάμεως ἀμελῆσαι.* Hoc loco orationem contrapositam atque paria paribus reddidit. Membrorum vero exitus facillime similes facere poterat si hunc in modum dixisset: *τῆς μὲν Βοιωτίας ὅπως μὴ καθ'ἓν εἴη ἐπιμεληθῆναι, κ. τ. λ.*

V 2, 19 *τά τε αὑτῶν σῴζουσι καὶ τὰ ἀλλότρια ἁρπάζουσιν:* quo loco adhibuit et antitheton et parison et homoeoteleuton.

V 2, 14 parisōn posuit dicens *βουλόμεθα μὲν τοῖς πατρίοις νόμοις χρῆσθαι καὶ αὐτοπολῖται εἶναι,* quae verba contraposita sunt iis, quae V 2, 12 de

[1]) cf. Hell. V 2, 20 sq. et Banderet p. 21.

Olynthiis legimus: *οὗτοι τῶν πόλεων προσηγάγοντο ἐφ' ᾧ τε νόμοις τοῖς αὐτοῖς χρῆσθαι καὶ συμπολιτεύειν.*

Verba consonantia, quae non eiusdem stirpis sunt, non adhibuit; paronomasiae vero unum exemplum afferri potest: V 2, 16 verba *ἐπιμελεθῆναι* et *ἀμελῆσαι* posuit.

V 2, 16 dicens *ἐκ πολλῶν μὲν λιμένων, πολλῶν δ'ἐμπορίων* figura, quae anaphora dicitur, usus est.

Interrogationes ut vivacem redderet orationem insuerit V 2, 16 *τί γὰρ δὴ καὶ ἐμποδὼν κ. τ. λ.* et V 2, 18 *τό γε μὴν φρόνημα κ. τ. λ.* Qua cum interrogatione Xen. hoc loco sententiam coniunxit (V 2, 18) *καὶ γὰρ ὁ θεὸς κ. τ. λ. . . δύνασθαι . . αὔξεσθαι . .* qua in sententia Xen. si Gorgiea quae dicuntur schemata de industria quaesivisset, verbum *αὔξεσθαι* post verbum *τῶν ἀνθρώπων* posuisset.

Initio et totius orationis (12), et argumentationis (14) et perorationis (18) ipsos Lacedaemonios Cligenes, ut animos audientium attentiores reddat, alloquitur. Eandem ob causam V 2, 16 dicit *ἐννοήσατε δὲ καὶ τόδε.*

Quibus locis ex Cligenis oratione allatis Xenophontem perpauca schemata adhibuisse satis elucet, atque figurae, quas adhibuit, omnes fere uno in loco, scilicet V 2, 16 sunt collocatae.

De iniuria denique qua Thebani a Lacedaemoniis affecti sunt, Xenophon V 2, 25—36 narrat (cf. Banderet p. 26 sq.). Quo loco colloquii mentionem facit, quod Phoebidas et Leontiades de arce Thebanorum occupanda habuerunt. Quin etiam ipse verba Leontiadae quae maximi momenti fuerunt, memoriae prodidit: Hell. V 2, 26—27: arce occupata Phoebidae gloriam augeri. *ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Φ. ἀνεκουφίσθη· καὶ γὰρ ἦν τοῦ λαμπρόν τι ποιῆσαι πολὺ μᾶλλον ἢ τοῦ ζῆν ἐραστής.* Quae responderit, non legimus, neque quomodo Leontiades pergerit; ultimam vero sententiam Leontiadae ipsius verbis inseruit: *ἡνίκα δ'ἂν ᾖ καιρός, πρὸς σὲ ἥξω ἐγώ, ἔφη ὁ Λ., καὶ αὐτός σοι ἡγήσομαι.* § 2, 27 anaphoram posuit: *πολλοὺς μὲν . . πολλοὺς δὲ . .*

Ut ad rem ipsam redeam Thebani illis temporibus Ismenia et Leontiade auctoribus in duas partes discedebant. Cum hic Lacedaemoniorum partibus studebat, ille ab Atheniensibus stare videbatur [1]). Re vera autem Ismeniae sociorumque eius nihil interfuit Thebanorum civitatem cum Atheniensibus coniungi [2]), sed nulla alia commoti causa quam ut adversarios reprimerent, amicitiam appetebant Atheniensium. Quare cum Phoebidas [3]) Thebas venit, Leontiades statim cum eo facere coepit atque in Cadmea arce occupanda eum adiuvit.

Qua in re viri docti in controversiam vocaverunt, in quem culpa arcis occupatae conferenda videatur, utrum in Lacedaemoniorum civitatem an in Leontiadem. Etenim E. Meyer quidem Phoebidam re publica Lacedaemoniorum auctore hoc facinus commisisse affirmat; Beloch vero unius Leontiadae culpae id assignat. Sed dialogum illum, quem Xenophon V 2, 26 sq. inseruit, si perpenderimus, omnem culpam in Leontiadem transferemus, cum Thebanum ipsum Phoebidam Lacedaemonium ut arcem occuparet adhortatum esse satis appareat. Lacedaemonii vero, quomodo de occupata Cadmea iudicaverint, si quaerimus ephori et cives graviter tulerunt hanc iniuriam. At cum Agesilaus rex, quod pro Lacedaemoniorum civitate factum esset, iure factum esse contenderet, Phoebidas quamquam non ephoris auctoribus sed Agesilai assensu atque admonitu Cadmeam videtur occupavisse. Scilicet haec Hell. V 2, 32 legimus: *ηὗρε δ'ἐκεῖ* (scil. Leontiades) *τοὺς μὲν ἐφόρους καὶ τῆς πόλεως τὸ πλῆθος χαλεπῶς ἔχοντας τῷ Φοιβίδᾳ, ὅτι οὐ προσταχθέντα ὑπὸ τῆς πόλεως ταῦτα ἐπεπράχει· ὁ μέντοι Ἀγησίλαος ἔλεγεν ὅτι εἰ μὲν βλαβερὰ τῇ Λακεδαίμονι πεπραχὼς εἴη, δίκαιος εἴη ζημιοῦσθαι, εἰ δὲ ἀγαθά, ἀρχαῖον εἶναι νόμιμον ἐξεῖναι τὰ τοιαῦτα αὐτοσχεδιάζειν.*

1) De Ismenia cf. Swoboda P. W. IX (2136) 1.
de Leontiade cf. Lübkers Reallex. 1914, 8. Aufl. p. 588.

2) Cf. E. Meyer Teopomps Hell. p. 82 adn. 1.

3) de Phoebida cf. Poralla Prosopogr. d. Lak. Breslau 1913 p. 126.

Qua in Agesilai responsione primum orationem habemus obliquam deinde rectam *αὐτὸ οὖν τοῦτ᾽, ἔφη, προσήκει σκοπεῖν κ. τ. λ.* Atque haud scio an Xenophon illum dialogum Leontiadae et Phoebidae (26—27) eam ob causam inseruerit ut Agesilai culpam aliquo modo diminueret [1]). Adde quod Leontiadae verba ita composuit [2]), ut quae V 2, 28 de Phoebida dixit, exemplo quasi comprobaret: *καὶ γὰρ ἦν ὁ Φοιβίδας τοῦ λαμπρόν τι ποιῆσαι πολὺ μᾶλλον ἢ τοῦ ζῆν ἐραστής, οὐ μέντοι λογιστικός γε οὐδὲ πάνυ φρόνιμος ἐδόκει εἶναι.* Arce vero occupata Leontiades Thebanos admonet V 2, 30, ne Lacedaemonios quamquam arcem occupavissent, hostes metuant; atque ipsa eius verba legimus oratione recta proposita; simulque Ismeniam *ὡς πολεμοποιοῦντα* accusat atque in vincula conici iubet. Quo facto statim Spartam profectus apud Lacedaemonios verba facit eo consilio, ut suos ipsius cives quippe qui Lacedaemoniorum sint hostes graviter accuset. Atque quae Xenophon Thebanorum illum principem Lacedaemone dicentem fecit, legentes sane facile intelligimus, quomodo factum sit ut Lacedaemonii arcem Thebanorum occupatam tenerent. Affirmat enim Leontiades arce occupata Thebanos Lacedaemoniis non iam metuendos esse. Neque minus his verbis Leontiadae scelus apertum fit. Sed quamquam Leontiadem et eos qui partes eius sequebantur, iniuste fecisse Xenophonti si fidem habemus nemo non videt, tamen penes Lacedaemonios omnis est culpa, qui cum principatum omnium Graecorum cupidissime appeterent, facere non poterant quin Thebanorum

---

1) Diod. XV 20 Phoebidam Lacedaemoniorum mandatum persecutum esse narrat; Plut. vero Agesil. 23. 24. Agesilaum ab omnibus fere Graecis facinoris auctorem iudicatum esse exponit.

2) Hell. V 2, 26 Leontiades incipit colloquium hoc modo: *ἔξεστί σοι, ὦ Φοιβίδα, τῇδε τῇ ἡμέρᾳ μέγιστα ἀγαθὰ τῇ σεαυτοῦ πατρίδι ὑπουργῆσαι* . . . atque pergit § 27 *ὥστε πολλῇ δυνάμει βοηθήσεις τῷ ἀδελφῷ, καὶ ἐν ᾧ μέλλει ἐκεῖνος Ὄλυνθον καταστρέφεσθαι, σὺ κατεστραμμένος ἔσει Θήβας, πολὺ μείζω πόλιν Ὀλύνθου.*

arcem Cadmeam occuparent. Xenophon vero, ut erat amicus atque cliens Lacedaemoniorum, ipsum Thebanum Leontiadem participem sceleris in Thebanos facti ita dicentem induxit, ut non solum Agesilaum sed etiam omnes Lacedaemonios si fieri posset culpa liberaret vel eorum culpam purgaret atque minueret.

Pauca iam addenda puto de figuris, quibus Xenophon Leontiadae verba ornavit: V 2, 33 *ἑωρᾶτε γὰρ ἀεὶ τούτους τοῖς μὲν ὑμετέροις δυσμενέσι φιλικῶς ἔχοντας.*

Quo loco antitheton, parison, homoeoteleuton adhibuit. Sed haud scio an Gorgias verba hoc fere modo posuisset. *τοῖς μὲν ὑμ. ἐχθροῖς φιλικῶς ἔχοντας, τοῖς δ'ὑμ. φίλοις ἐχθρῶς ἔχοντας.*

§ 33 duo erotemata intexuit: *οὐκ . . συστρατεύειν; Φωκεῦσι δὲ . . ἐπεστράττευον;*

V 2, 34 denique antitheton posuit: *τότε μὲν ἀεὶ προσείχετε τὸν νοῦν κ.τ.λ. νῦν δ'ἐπεὶ τάδε πέπρακται κ.τ.λ.*

Ultima verba paronomasia ornavit: *ἐὰν ὥσπερ ἡμεῖς ὑμῶν, οὕτω καὶ ὑμεῖς ἡμῶν ἐπιμελῆσθε.*

Praeterea e re esse puto verba, quibus Leontiades Thebanos apud Lacedaemonios accusat, comparare cum iis, quae Thebanorum legatus Athenis dicit apud Xen. III 5, 8. Qui Athenienses ne obliviscantur beneficii illius, quo in bello civili a Thebanis ornati sint his verbis admonet: *ὅτε δὲ παρεκάλουν ἡμᾶς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ τότε ἅπασα ἡ πόλις ἀπεψηφίσατο μὴ συστρατεύειν αὐτοῖς* [1]).

Eandem enim rem spectat Leontiades, cum Spartae cives accusat dicens *οὐκ ἐπὶ μὲν τὸν ἐν Πειραιεῖ δῆμον, πολεμιώτατον ὄντα ὑμῖν, οὐκ ἠθέλησεν συστρατεύειν.*

De iudicio vero illo quo Ismenias a Thebanis capitis damnatus est, Xenophon non ad verbum refert: Hell. V 2, 36 sq.; crimina verbis *ὡς* vel *ὅτι* introducuntur. Quod iudicium ad finem perducitur his verbis de Ismeniae defensione: *ὁ δὲ ἀπελογεῖτο μὲν . . οὐ μέντοι ἔπειθέ γε κ. τ. λ.*

---

1) cf. Hell. II 4, 30. III 5, 5.

Xenophontem vero neque Leontiadem ipsum Spartae audivisse neque rebus Thebis gestis interfuissse cum illis temporibus eum Scillunte sedem domiciliumque habuisse constet consentaneum est.

Hactenus de priore particula Xenophonteae narrationis, quam Hellenicorum tertiam partem esse diximus, qua Lacedaemonios iniuriis se inquinasse certiores fimus. Sequitur ut de altera particula dicamus (V 4—IV 3), qua Xenophon quomodo Thebani se corroboraverint atque surrexerint, exposuit. Quae res annis 379—372 gestae sunt. V 4, 13 Agesilai verba, quibus ne bellum sibi adversus Thebanos mandent, aetatem excusat, oratione obliqua proposita legimus. Ultimo vero quinti libri capiti auctor narrationem de Sphodria [1]) liberando inseruit blanda fabularum dulcedine exornatam. Sphodrias enim *ἁρμοστὴς* Thespiis relictis (V 4, 15) cum Piraeum opprimere (anno 378, Hell. V 4, 20) conatus esset, a Lacedaemoniis revocatus est. Thebani enim, ne soli bellum haberent cum Lacedaemoniis, Sphodriam corruperunt, ut in Atticam irrumperet. Quod ille facit insciis Lacedaemoniis. Lacedaemoniorum vero legati, cum tunc temporis Athenis versarentur, comprehensi *ἀπελογοῦντο ὡς οὐκ ἄν ποτε οὕτω μῶροι ἦσαν*, quae verba non ipsa sed oratione obliqua adhibita legimus. Postquam vero Sphodrias Spartam arcessitus atque accusatus est, causam eius cum Cleombroti partes sequeretur, Cleombrotus eiusque socii defendebant. Postremo Agesilaus ut gratiam faciat Archidamo filio qui cum Cleonymo Sphodriae filio artissimo amicitiae vinculo coniunctus erat, Sphodriam absolvit. Qua in re explicanda Xenophon cum Agesilaum hoc modo ad indulgentiam commotum esse comperisset non praetermisit occasionem digressionis ornandi causa inserendae; quod ut faceret studio amatoriorum sermonum, quales tunc temporis cum a philosophis cuiusvis generis tum a Socraticis saepe habebantur, adductus videtur esse, id quod

[1]) de Sphodria cf. Poralla, Prosopographie d. Lakedaimonier p. 115. — Schaefer, Demosth. I 16 sq.

Banderet optimo iure (p. 33) contendit. Similes enim digressiones haud raro non solum Hellenicis sed etiam ceteris quae conscripsit operibus intexuit [1]).

Atque primum quidem Sphodriam filiumque eius Cleonymum quasi in scaenam producit (V 4, 26). Sphodriam ipsius verbis filium, ut patrem ex mortis periculo eripiat orantem atque rogantem audimus: *ἔξεστί σοι, ὦ υἱέ, σῶσαι τὸν πατέρα, δεηθέντι Ἀρχιδάμου εὐμενῆ Ἀγησίλαον ἐμοὶ εἰς τὴν κρίσιν παρασχεῖν.* Deinde Cleonymus et Archidamus amici in scaenam veniunt (V 4, 27). Postquam Cleonymus Archidami opem imploravit, hic, quamquam ipse *τῷ πατρὶ οὐδ' ἀντιβλέπειν δύναται*, amico se adfuturum esse promittit: *ὅμως δ' ἐπεὶ σὺ κελεύεις, νόμιζε πᾶσάν με προθυμίαν ἕξειν ταῦτά σοι πραχθῆναι.* Post V 4, 30 Archidamus et Agesilaus pater et filius una in scaenam prodeunt. Illum patrem adire diu gravatum ipsius verbis pro Sphodriae vita rogantem auctor inducit atque, quae Agesilaus ut vir probissimus ac mitissimus responderit item ipsius verbis scripta legimus: *ἀλλὰ σοὶ μὲν ἔγωγε συγγνώμην ἔχω· αὐτὸς μέντοι ὅπως ἂν συγγνώμης τύχοιμι παρὰ τῆς πόλεως ἄνδρα μὴ καταγιγνώσκων ἀδικεῖν οἷς ἐχρηματίσατο ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως οὐχ ὁρῶ.*

Tum V 4, 31 Archidamus et Agesilaus in scaenam redeunt; filius enim spe redintegrata patrem supplicibus verbis orat ut sua causa Sphodriam absolvat: *εἰ ἠδίκηκέ τι, ἡμῶν ἕνεκεν συγγνώμης ὑπὸ σοῦ τυχέτω.* Rex vero se filio petenti ea condicione satisfacturum esse promittit *ἂν μέλλῃ καλὰ ταῦθ' ἡμῖν* (scil. rei publicae Lac.) *εἶναι*, ut filius omne spe abiecta abeat. Sed ex verbis quibus Etymocles quidam uni ex Sphodriae amicis respondet, Sphodriam absolutum iri satis elucet.

Quae cum ita sint Xenophontem hanc narrationem idcirco composuisse veri simile est, ut et Agesilai adversus filium carissimum humanitatem admiremur, et Agesilao excusationem paret Sphodriae absolutionis,

[1]) Exempli causa commemoro Hell. IV 1, 3 sq. 39 sq. V 4, 17 Agesil. 5, 4 sq.

quam (V 4, 24) omnium consensu iniustissimam fuisse ipse Xenophon fatetur. Haec enim est responsio Etymoclis V 4, 32: *οὐκ ἄρα ταῦτ', ἔφη, ποιήσομεν Ἀγησιλάῳ; ἐπεὶ ἐκεῖνός γε πρὸς πάντας ὅσοις διείλεκται ταὐτὰ λέγει, μὴ ἀδικεῖν μὲν Σφοδρίαν ἀδύνατον εἶναι· ὅστις μέντοι παῖς τε ὢν καὶ παιδίσκος καὶ ἡβῶν πάντα τὰ καλὰ ποιῶν διετέλεσε, χαλεπὸν εἶναι τοιοῦτον ἄνδρα ἀποκτιννύναι· τὴν γὰρ Σπάρτην τοιούτων δεῖσθαι στρατιωτῶν.* Ultima denique verba sequuntur, quibus Cleonymus Archidamo gratias agit, (V 4, 33) *εὖ δ'ἐπίστω, Ἀρχίδαμε, ὅτι καὶ ἡμεῖς πειρασόμεθα ἐπιμελεῖσθαι ὡς μήποτε σὺ ἐπὶ τῇ ἡμετέρᾳ φιλίᾳ αἰσχυνθῇς* et, quae Xenophon ut Socratis discipulus conscripsit de Cleonymi morte quam in pugna Leuctrica obiit fortissime pro patria pugnans. Quibus expositis nemo certe Xenophontem digressum de Sphodria liberando maxima cum diligentia venustateque composuisse negabit, etsi hac in narratione schemata quae Gorgiae dicuntur, praeter unum antitheton, quod V 4, 30 *σοὶ μὲν .. αὐτὸς μέντοι ..* Agesilaum dicentem fecit, non usurpavit.

Iam accedamus ad sextum Hell. librum, qui incipit ab oratione Polydamantis[1]) qua refert de sermone, quem cum Iasone Pheraeo habuit. Polydamas enim Pharsalius rei publicae gerendae peritissimus apud cives multum auctoritate valebat. Qua de causa Xenophon prudentiam eius in rebus civilibus valde admiratus fusius, antequam eum dicentem inducit, de eo ipso disputat. Quas sententias de Polydamante a Xen. prolatas VI 1, 2—3 J. Bruns (p. 43 sq.) cum iis comparat, quae Hell. IV 8, 22 de Diphrida Lacedaemonio sunt dicta. Et Diphridam enim et Polydamantem paucis tantum verbis laudat, ut eorum humanitas ac dignitas appareat.

De Iasone [2]) vero haec praemittenda videntur:

1) de Polydamante cf. E. Meyer V 391 sq. p. 437 de nece Polydamantis.

2) de Iasone cf. Staehlin P. W. IX (771 sq.) 3.
Banderet p. 41 sq. 65 sq. E. Meyer V 391 sq.
Beloch, gr. Gesch. III 1, 164 sq. III 2, 80 sq.
Niese Hermes 49 (1904) p. 108 sq.
Wilcken Hermes 59 (1924) p. 123 sq.

principipem eum fuisse fortissimum prudentissimumque constat, qui cum Thessalorum rem publicam augere atque amplificare studeret, Spartam maximo sibi impedimento esse existimabat. Quae cum ita essent, omnes Lacedaemoniorum adversarios foedere secum coniungere sibi proposuerat. Cum vero Lacedaemonii bello Boeotorum conflato prohibiti essent, Iasoni opes suas omni impedimento remoto firmare atque augere licebat. Etiam Polydamas Pharsalius in illius potestàtem ut se et urbem suam dederet, a Iasone admonitus est. Qua re permotus Spartam profectus est ut Lacedaemonios de hoc Iasonis postulato certiores faceret.

Prooemio orationis VI 1, 4 Polydamas a sua ipsius persona benevolentiam audientium captare studet. *πρόξενος*, inquit Polydamas, *ὑμῶν ὢν καὶ εὐεργέτης ἐκ πάντων ὧν μεμνήμεθα προγόνων.*

Sequitur narratio, qua sermonem quem cum Iasone habuit, ad verbum fere videtur referre. Primum vero Iason potentia, quam assecutus sit, apud Polydamantem gloriatus est (5—7):

1) omnia fere Thessaliae civitates sibi coniunctas esse ostendit (5 — *στρατευομένων*).

2) sex milia militum mercennariorum sibi suppetere (5 *καὶ μὴν οἶσθά γε κ. τ. λ. . . ἴσα πονεῖν*).

3) Maracos, Dolopes, Alcetam Epiri regem iam suo in officio permanere § 7. Deinde consilia cum Polydamante communicat. Pharsaliis enim in sociorum numerum ascitis:

1) se ipsum *ταγὸν Θετταλῶν* summo cum imperio ornatum fore putat (8 — *κατασταίην*).

2) *ὅταν ταγεύηται Θετταλία*, cum sex milia equitum tum decem milia peditum praesto sibi futura esse censet (§ 8 *ὥς γε μήν . . καθίστανται*).

3) omnes vicinas gentes Iasonis imperio obnoxias fore, *ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ* (§ 9).

4) Boeotos foedus facturos esse cum Iasone, *ἂν μόνον ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἐλευθερῶ αὐτούς* (§ 10).

5) Athenienses quin etiam socios sibi asciscere se posse affirmat, quamquam foedus Atheniensium spernit (10 *καὶ Ἀθηναῖοι κ. τ. λ.*).

6) Thessalos enim ipsos rebus maritimis plurimum ut valeant sperat fore (10 *νομίζω γὰρ κ. τ. λ.*), cum

a) Macedonia materia navali abundante maiorem classem aedificare possit Atheniensibus (11 —*ποιήσασθαι*).

b) plures sibi ipsi remiges praesto sint quam Atheniensibus (11 *ἀνδρῶν γε μήν κ. τ. λ.*).

c) Thessalia omnes ad vivendum copias nautis suppeditet (11 *τούς γε μὴν ναύτας τρέφειν κ. τ. λ.*).

7) Omnes gentes subactae tributum pendant (12 *ὅταν ταγεύηται τὰ κατὰ Θετταλίαν*).

8) Persarum quin etiam regem in potestatem suam redigere facile sibi videatur (12 *οἶσθα δὲ δήπου κ.τ.λ.*).

Quibus expositis Polydamas de iis quae Iasoni responderit, refert: difficile esse a Lacedaemoniis temere ad adversarios deficere. Quam ob rem Iason eum Lacedaemonios de hac re certiores facere cum iussisset, paratum se esse affirmat ad bellum gerendum cum Lacedaemoniis Pharsaliisque coniunctis (13). Polydamas vero Lacedaemonios admonet, ne bello nisi optime parati se interponant (14). Atque ut planius intellegere possint, quae dixerit, ultimis paragraphis de ingenio moribusque Iasonis exponit (15—16 *δεόμενον*), quibuscum congruunt, quae § 6 de Iasonis virtute proposuit.

Ultima vero quam Polyd. profert sententia peroratio dici potest: (16) *ὑμεῖς οὖν σκεψάμενοι εἴπατε πρὸς ἐμέ, ὥσπερ ὑμῖν προσήκει, ὁποῖα δυνήσεσθέ τε καὶ μέλλετε ποιήσειν.*

Quae Polydamantis oratio sane singularis est, quod sermonem cum altero habitum eisdem prope verbis referat. De Iasonis enim potentia atque consiliis ipsius verbis refert [1]) exceptis illis verbis, quae Iason de Maracis et Dolopis dixit. § 6 Polydamas ut iam dixi

---

1) Quam ob causam Hirzel I. p. 172 adn. 2 Polydamantis orationem in dialogorum numero habet.

de vita moribusque Iasonis egressionem inseruit, quam §§ 14—14 supplevit. Denique, quae Polydamas ipse Iasoni respondit et pauca responsi a Iasone dati § 13 Polydamas non ad verbum retulit. Quibus locis collatis Xenophon orationem Polydamantis ita verbis ornavisse et summo colore illustravisse elucet, ut ubertatem et copiam orationis iure admiremur. Antequam vero de oratione ipsa pluribus disputabo, perscrutemur, quibus figuris in Polydamantis oratione Xenophon usus sit.

VI 1, 4: *ἐάν τέ τι ἀπορῶ, πρὸς ὑμᾶς ἰέναι, ἐάν τέ τι χαλεπὸν ὑμῖν ἐν τῇ Θετταλίᾳ συνιστῆται, σημαίνειν.* Quo loco parison usurpavit; et ad ornandam et ad exaugendam orationem duo membra eisdem a verbis incipiunt.

VI 1, 6: *οὓς μὲν ἂν μαλακοὺς τῶν ξένων αἰσθάνηται, ἐκβάλλει, οὓς δ' ἂν ὁρᾷ φιλοπόνως καὶ φιλοκινδύνως ἔχοντας κ. τ. λ.* antitheton, cuius alteri parti quinque verba, quorum exitus idem vel similis est, intexuit, dicens: *τιμᾷ τοὺς μὲν διμοιρίαις, τοὺς δὲ τριμοιρίαις, . . τετραμοιρίαις καὶ ἄλλοις δώροις . . θεραπείαις.* Similiter Xenophon Polydamantem dicentem facit (6) *τὸ σῶμα μάλα εὔρωστος καὶ φιλόπονος* et eadem in paragrapho *οὓς δ' ἂν ὁρᾷ φιλοπόνως καὶ φιλοκινδύνως . . ἐντιμότατον . . ἀφθονώτατον . .*

VI 1, 7: *τί ἂν ἐγὼ φοβούμενος . . καταστρέψασθαι;* erotema. *τάχα οὖν ὑπολάβοι ἄν τις ἐμοῦ ἄπειρος. Τί οὖν μέλλεις καὶ οὐκ ἤδη στρατεύεις κ. τ. λ.* Hoc loco subiectionem adhibuit, subiciens id, quod ab ignaro quodam contra Iasonem dici possit. *βιασθέντες μὲν γὰρ ὑμεῖς τ' ἂν βουλεύοισθε ὅτι δύναισθε κακὸν ἐμοί, ἐγώ τ' ἂν ὑμᾶς ὡς ἀσθενεστάτους βουλοίμην εἶναι· εἰ δὲ πεισθέντες μετ' ἐμοῦ γένοισθε, δῆλον κ. τ. λ.* antitheton, cuius primum membrum parison continet.

VI 1, 8: *εἰς ἑξακισχιλίους . . γίγνονται, ὁπλῖται δὲ πλείους . . καθίστανται* homoeoteleuton.

VI 1, 11 duo posuit erotemata *ἀνδρῶν γε μὴν . . πενέστας; τούς γε μὴν ναύτας . . πρίωνται;* alteram

vero interrogationem antitheto et pariso ornavit: *τούς γε μὴν ναύτας τρέφειν πότερον ἡμᾶς κ. τ. λ. ἢ Ἀθηναίους κ. τ. λ.*

VI 1, 14: *εἰ μὲν πέμψετε ἐκεῖσε δύναμιν, μὴ ἐμοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις Θ. ἱκανὴν δοκοῦσαν κ. τ. λ. εἰ δὲ νεοδαμώδεις καὶ ἄνδρα ἰδιώτην κ. τ. λ.*

VI 1, 15 verba *ὅσα τε λανθάνειν καὶ ὅσα φθάνειν καὶ ὅσα βιάζεσθαι ἐπιχειρεῖ . . ἐφαμαρτάνει . .* similiter cadunt. Adde quod VI 1, 7 Iasonem Iovem invocantem fingit. Quibus locis collatis Xenophon perpaucis schematis usurpatis orationem ornavisse apparet. Sed verbis Polydamantis Iasonisque comparatis auctorem utrique easdem fere figuras tribuisse videmus. Neque Xenophontem id spectasse ut differentia quadam Iasonis et Polydamantis dicendi genera distingueret, in promptu est.

Sed ad orationem ipsam redeamus. Cum totam orationem tum prooemium legentibus nobis in mentem veniunt verba, quae Cligenes ille apud Xen. V 2, 12 sq. dixit. Et Polydamas enim et Cligenes quam periculosa sit externa quaedam potentia recens nascens, Lacedaemoniis ostendunt. Primum quidem Iason potentia, quam adhuc assecutus sit, gloriatur (5—7), tum cum Polydamante belli pacisque consilia communicat (8—12). Quod vero Iason Alcetam [1]) Epiri regem iam in officio permanere affirmat, Niese [2]) eum veritatem egressum esse monstravit, cum Alcetas et Amyntas [3]) Macedonum rex re vera socii Thessalorum fuerint [4]). Atque Xenophon ipse Hell. VI 2, 10 Alcetam liberum neque Iasoni obnoxium principatum tenuisse, significare videtur. Quod vero Niese (p. 111 sq.) spem principatum Thessalorum adipiscendi a Xenophonte ante tempus Iasoni tributam esse putat, eum non recte iudicavisse arbitror. Quamquam enim Iason praematura morte absumptus propositum non peregit, tamen eum omnes suas rationes

1) de Alceta, Epiri vero rege cf. Kaerst, P. W. I (1514) 3.
2) de Amynta Macedonum rege cf. Kaerst, P. W. I (2006) 14.
3) cf. Niese, Hermes 49 (1904) p. 112.
4) cf. Diodor XV 60, 2.

atque cogitationes ad idem propositum contulisse veri simile est, quod postea Philippus rex Macedonum non solum appetivit sed prospera fortuna assecutus est. Verba quae in Polydamantis oratione fiunt de Atheniensibus (10), Wilcken [1]) nuper rectissime interpretatus esse videtur; Iasonem enim circa annum 374 socium fuisse alterius quod dicitur Attici foederis maritimi testis est tabula de illa societate confecta in qua Iasonis nomen incisum sed postea erasum esse Fabricius [2]) comprobavit. Cuius societatis cum ad suam ipsius potestatem non pertineat, Iason paragraphis 5—7 mentionem non fecit. Posterioribus vero annis scil. *ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ* Athenienses Iasonem ut foedus cum ipsis iniret, rogaturos esse imaginatur. Sed tunc in ipso rerum discrimine eos spernit, cum ipse rebus maritimis etiam plus Atheniensibus glorietur valere. Similiter verbis illis, quae de Macedonia (11) atque de Boeotiis (10) dicit addamus necesse est *ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ* vel *ὅταν ταγεύηται ἡ Θετταλία*. Illo enim tempore quo cum Polydamante collocutus est, nondum cum Thebanis foedere coniunctus erat. Verbis autem, quae Iason de bello Persarum dicit (12) benevolentiam gentium Europaearum sibi conciliare studet. De quo Iasonis consilio belli Persarum imperio inferendi apud Isocratem quoque legimus haec: V 119 sq. *ἐποιεῖτο γὰρ* (scil. Iason) *τοὺς λόγους ὡς εἰς τὴν ἤπειρον διαβησόμενος καὶ βασιλεῖ πολεμήσων*. Sed Iasonem de fracta atque debilitata regis Persarum potentia non iudicare posse consentaneum est nisi propter illas Cyri et Agesilai Persarum in fines factas expeditiones, quibus Xenophon ipse interfuit. Quibus ex verbis Xenophontem, quamquam pleraque hac in oratione ad fidem historiae finxit, tamen sua ipsa quoque ratione ductum hanc Polydamantis orationem ita composuisse apparet, ut non solum verbis suis uteretur, sed etiam nonnullas de suo proferret sententias.

---

1) cf. Hermes 54 (1924) p. 123 sq.

2) cf. Ditt. Syll. I³ 147. 111. Fabricius, Rh. Mus. 46 (1891) 589 sq. Wilcken Hermes 54 (1924) p. 125.

Quae res etiam illis comprobatur, quibus Polydamas vitam Iasonis (6. 15. 16) depingit. Summus est vir atque summo ingenio praeditus omnia perfert, omnia patitur ambitiosus honoris causa, principatus studiosus gloriae causa. Nonne videmus quem ad modum Iason insignem Cyri illius clarissimi Persarum regis, cuius vivendi rationes Xenophon in libro, qui Cyri institutio inscribitur, luculenter proposuit, similitudinem prae se ferat? Exempli causa addo, quae Cyr. I 2, 1 de Cyro dicuntur: *εἶδος μὲν κάλλιστος, ψυχὴν δὲ φιλανθρωπότατος καὶ φιλομαθέστατος καὶ φιλοτιμότατος, ὥστε πάντα καὶ ἀνατλῆναι, πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομεῖναι τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα*; quae verba de Cyro dicta aptissima sunt quae vel de Iasone proferantur. Quae cum ita sint, Wilamowitzii illud recordemur de Xenophonte: „sein Ideal hat seine Züge von Socrates, Cyrus und Agesilaus geborgt“ [1]).

Quibus de causis quoniam Iason summam Xenophontis admirationem excitaverat, hic cum Thucydidis vestigia etsi non servilem in modum premeret, ne ipse de vita, moribus, consiliisque Iasonis referret, Polydamantem orationem illam habentem induxit et Iasonem ipsum breviter sententiam fecit dicentem (VI 4, 23. 24); cf. p. 82 sq. huius commentationis.

Praeterea ni fallimur ut civibus Iasonis admirationem iniceret, exemplum ad imitandum proponeret, Polydamantis orationem conscripsit neque quisquam negabit scriptorem legentibus Iasonem principem perfectissimum clarissime ante oculos posuisse atque dignum, qui multorum civitatum ac gentium imperium obtineret. Ecce iterum verborum reminiscimur, quae Xenophon Cyr. I 1, 3 de Cyro scripsit: *ἐπειδὴ δὲ ἐνενοήσαμεν, ὅτι Κῦρος ἐγένετο Πέρσης, ὃς παμπόλλους μὲν ἀνθρώπους ἐκτήσατο πειθομένους αὐτῷ, παμπόλλας δὲ πόλεις, πάμπολλα δὲ ἔθνη, ἐκ τούτου δὴ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν, μὴ οὔτε τῶν ἀδυνάτων οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ᾖ τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν, ἤν τις ἐπισταμένως τοῦτο πράττῃ.*

---

[1]) Hermes 1879 p. 192.

Verum enim vero Polydamantis orationem ipse haud scio an Spartae Xen. audiverit. Nemo enim negabit quin Xenophon etsi Scillunte habitaret, magno familiaritatis usu cum Agesilao ephorisque coniunctus saepius Spartae versatus sit, praesertim cum Diogene Laertio teste liberi eius Spartae educati sint [1]).

Quo factum est ut Xenophon quamquam orationem illam non ita perscripsit, ut verbum pro verbo et quasi calamo exceptam eam referret, tamen plerisque in rebus fidem historiae sequeretur.

Frustra vero Polydamas apud Lacedaemonios locutus est, res prorsus aliter cecidit ac putaverat. Lacedaemonii enim complures per dies *λογισάμενοι ἀπεκρίναντο ὅτι ἐν τῷ παρόντι οὐκ ἂν δύναιντο ἱκανὴν αὐτῷ ἐκπέμψαι ἐπικουρίαν, ἀλλ' ἀπιόντα συντίθεσθαι αὐτὸν ἐκέλευον ὅπῃ δύναιτο ἄριστα τά τε ἑαυτοῦ καὶ τὰ τῆς πόλεως.*

Qua de causa Polydamas cum Iasone foedus icit, *ἐπαινέσας* cum Sparta abscedebat *τὴν ἁπλότητα τῆς πόλεως* (18).

Ut Iasonis historiam ad finem perducamus, illorum quoque verborum mentionem facio, quibus Iason Hell. VI 4, 21—26 Thebanos Lacedaemoniosque ut belli finem faciant, adhortatur. Et apud Lacedaemonios et apud Thebanos oratione obliqua proposita pergit oratione recta 22: *ἀπέτρεπεν αὐτούς* (scil. Thebanos) *ὁ Ἰάσων διδάσκων, ὡς κ. τ. λ.* 23: *οὐχ ὁρᾶτε, ἔφη, ὅτι καὶ ὑμεῖς, ἐπεὶ ἐν ἀνάγκῃ ἐγένεσθε, ἐκρατήσατε; οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ Λακεδαιμονίους ἄν, εἰ ἀναγκάζοιντο, [ἐκγενέσθαι] τοῦ ζῆν ἀπονοηθέντας διαμάχεσθαι.*

Ex verbis illis quibus Thebanos, ne Lacedaemoniis bellum inferant, admonet, Iasonem magna prudentia imperatoria floruisse intellegitur, cum homines summa desperatione commotos tantopere nonnunquam mortem contemnere non ignoret, ut fortissime pugnantes victores discedant. Ex ultima quidem sententia, qua *ἠθικοὺς*

---

[1]) cf. Banderet p. 41.

ποιεῖ τοὺς λόγους, pium erga deos Xenophontis animum cognoscimus. Quae sunt Xenophontis consenescentis, qui nimia fere et superstitiosa utebatur religione, quod multis exemplis ex ultima Hellenicorum parte sumptis comprobatur [1]).

Quod vero Iason dicit *ὁ θεὸς δέ, ὡς ἔοικε, πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς* (VI 4, 23), similia sunt apud Hesiodum, Erga 5—8. Imprimis autem animadvertas quaeso quod Isocrates IV 8 eodem fere modo verborum vim laudat, *ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι . . . τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι κ. τ. λ.* Quibus in sententiis formandis Isocratem Tisiae et Gorgiae doctrinam secutum esse constat [2]), neque Xenophon sophistarum ille discipulus, hanc Gorgiae sententiam ignorasse videtur.

Ex iis verbis, quibus Iason VI 4, 24 Lacedaemoniis suadet, cum virtus eius imperatoria tum humanitas, *φιλανθρωπία* quae dicitur, plane elucet: . . . *ἐδίδασκεν οἷον . . . εἰ δ' ἐξιάσασθαι, ἔφη, . . . νῦν δέ, ἔφη, . . ταῦτα δ', ἔφη, ἐγὼ προθυμοῦμαι σῶσαι ὑμᾶς βουλόμενος διά τε τὴν τοῦ πατρὸς φιλίαν πρὸς ὑμᾶς καὶ διὰ τὸ προξενεῖν ὑμῶν.*

Ut brevi comprehendam Xenophon Iasonem et in Polydamantis oratione et his locis ita loquentem atque suadentem induxit, ut dignum illum censeamus illa eximia laude, qua Xenophon eum VI 4, 28 ornavit dicens, *μέγιστος δ' ἦν τῶν καθ' αὐτὸν τῷ . . κ. τ. λ. εἶναι.*

Iasonis vero memoriam, cuius in vita ac moribus illustrandis admiratione permotus multum operae ac laboris consumpsit, Xen. quasi digressionem Hell. inseruit, quod ipse satis aperte significasse videtur dicens VI 1, 13 *ἐγὼ δὲ πάλιν . . ἐξέβην* atque narratione ad finem perducta VI 5, 1 concludit simulque ad nova

---

[1]) cf. VI 5, 41; VII 2, 20; VII 1, 2. 5. 9.

[2]) Rauchenstein-M., ausgewählte Reden d. Is. Berlin 1908[6] p. 35 adn. 8.

transit καὶ τὰ μὲν Θετταλικά . . ἐξέβην. (de egressionibus a Xenophonte VI et VII Hell. libris insertis cf. Nitsche p. 7—9. Fellner p. 61 sq.).

Iam progrediamur. Prope ad internecionem Lacedaemoniis bello redactis anno 374 pax facta est. Attamen brevi post Athenienses Lacdaemoniique proelium redintegrabant (Hell. VI 2). Illis vero diebus legati Corcyraeorum auxilium petitum Athenas venerunt (VI 2, 9). Quos Xen. non suis ipsorum verbis dicentes induxit.

Exspectamus sane ut legati consilio Atheniensium convocato afflictam suae civitatis condicionem fortunamque exponant atque Atheniensium esse doceant, Corcyraeis auxilium ferre. Sed nihil eiusmodi apud Xenophontem legimus. Immo legati quanta sit Corcyraeorum potentia et quam opportuno Atheniensibus loco Corcyra insula sita sit, argumentis comprobare student. Quae cogitationes revera non sunt Corcyraeorum auxilium petentium sed Atheniensium secum reputantium, quam ob causam Corcyraei sibi adiuvandi sint. Apparet igitur Xenophontem cum orationem re vera habitam esse sciret, orationem quidem Corcyraeorum inseruisse, sententias vero Atheniensibus aptissimas explicasse.

Quae legatorum oratio (VI 2, 9) verbis eiusdem stirpis insertis distinguitur atque illustratur: ἐδίδασκον ὡς μέγα μὲν ἀγαθὸν ἀποβάλοιεν ἄν, εἰ Κερκύρας στερηθεῖεν, τοῖς δὲ πολεμίοις μεγάλην ἂν ἰσχὺν προσβάλοιεν.

Exornandi quoque causa Xen. scripsit: ἐν καλῷ μὲν . . ἐν καλῷ δὲ . . ἐν καλλίστῳ δὲ . . . Banderet vero p. 47 dubius quaerit qua re permotus Xenophon occasioni defuerit hoc loco similem orationem inserendi ac V 2, 12—19 de Olynthiis vel VI 1, 4—16 de Iasone Pheraeo. Haud scio an illa Corcyraeorum oratio eum impediverit, quam Thucidides I 32 sq. a legatis Corcyraeoum anno 433 a. Chr. n. Athenis haberi finxit. Quam Thucydidis orationem Xenophon ipse in animo habuisse videtur, cum utrorumque legatorum sententiae satis similes sint. Nam et apud Thucydidem et apud

Xenophontem de utilitate praecipue ambigitur a legatis *ἀπὸ τοῦ συμφέροντος* disserentibus. Gravissimam autem apud Thucydidem argumentationem illa exhibent verba de magna Corcyraeorum classe, quae, ut diligentissime attendant audientes, incipiunt *καὶ σκέψασθε κ. τ. λ.* Similiter vero apud Xenophontem legati classis mentionem faciunt. Sed haec hactenus; sequitur ut de pace, quo modo facta sit pauca disseram.

Thebani enim paulatim Atheniensibus periculosiores videbantur quam Lacedaemonii. Simultas augebatur quod Plataeae a Thebanis expugnatae atque deletae sunt, Atheniensibus cum Plataeensibus iam antiquitus amicitia arte coniunctis (VI 3, 1). Quae cum ita essent Athenienses Thebanis vehementissime irascebantur et suscensebant. Sed cum acie dimicare vererentur, iterum cum Lacedaemoniis de pace agebant [1]). Qua re Calliam, Autoclem, Callistratum legatos Spartam miserunt, quorum orationes Xenophon ipsorum verbis memoriae prodidit.

Primus verba facit daduchus [2]) Callias, Hipponici, qui divitiis illa aetate quam maxime abundaverat, filius. Patre mortuo Callias cum opes maximas hereditate acceptas, ut erat homo voluptarius, disperderet ac dissiparet, comoediarum poetis saepius ludibrio erat [3]). Sed tamen, eum non alienum fuisse ab honestis animi delectationibus inde elucet, quod Platone Xenophonteque testibus consuetudine fruebatur cum sophistarum tum Socratis. Scilicet in Xenophontis libro, qui convivium inscribitur, Callias [4]) ipse convivium magnifice instruxit ut Autolyci [5]) victoriam Panathenaicorum in certamine

---

1) cf. E. Meyer, Gesch. d. Altert. V 404 sq. Beloch, Gr. Gesch. III 1, 161 sq. Banderet p. 48 sq. J. Bruns p. 402 sq.

2) de Callia cf. Kirchner P. W. X (1618) 3. J. Bruns p. 386 sq. E. Meyer, G. d. A. V 431 sq.

3) cf. Eupol. Frgm. Kock I (303) 161. Aristoph. ran. 428 sq. et 501, ad quos locos pertinet Radermacher p. 205 et 217.

4) de Callia, qualis est in Xenophontis convivio cf. J. Bruns, p. 395 sq.

5) de Autolyco cf. Judeich P. W. II (2601) 4.

anno a. Chr. n. 422 reportatam celebraret atque amicos domum suam invitavit. Atque Socrates in longissima illa oratione, qua de amore disputat (8), Calliam ipsum allocutus bis disertis proclamat verbis, quantae sint omnium exspectationes de ingenio atque indole Calliae (Xen. Conv. 8, 8. 40). Calliam vero communem bonorum admirationem atque exspectationem non explevisse illis ex verbis elucet, quibus Xenophon eius naturam hoc Hellenicorum loco notat atque describit, cum dicit VI 3, 3: *πρῶτος ἔλεξεν αὐτῶν Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος. ἦν δ'οὗτος οἷος μηδὲν ἧττον ἥδεσθαι ὑφ' αὑτοῦ ἢ ὑπ' ἄλλων ἐπαινούμενος.* Iam audiamus, quibus verbis Callias Lacedaemonios ut pacem faciant, apud Xenophontem adhortetur.

Prooemio VI 3, 4 a sua ipsius persona benevolentiam audientium contrahere studet:

1) laudat *προξενίαν* veterem a maioribus sibi relictam;
2) in rem publicam Atheniensium quales fuerint maiores, refert;
3) iam bis se paulo ante pacem inter Lacedaemonios Athenienses que conciliavisse admonet.

Ultimam paragraphi 4 sententiam propositionem dicas: *νῦν δὲ τρίτον ἥκω, καὶ ἡγοῦμαι πολὺ δικαιότατα νῦν ἂν διαλλαγῆς τυχεῖν.*

Sequitur argumentatio, qua (5. 6) quam ob causam Lacedaemoniis pax facienda sit cum Atheniensibus exponit:

1) idem sentiunt, *τὰ αὐτὰ γιγνώσκοντες* (5).
2) fabula Triptolemi coniuncti sunt (6).

A verbis VI 3, 6 *εἰ δὲ ἄρα ἐκ θεῶν κ. τ. λ.* incipit peroratio: quae cum ita sint, bellum incipere non nisi cunctantibus licet, atque bello conflato quam primum pax reconcilianda est.

Quae oratio optime congruit cum eis, quae Xenophon VI 3, 3 de Callia exponit, qui nimium sibi placeat. Tertia enim totius orationis parte (4) semetipsum laudat

orator. Atque Calliam Lacedaemoniorum πρόξενον esse iam Hell. V 4, 22 legimus, τῶν Ἀθηναίων ὁπλιτῶν στρατηγός fuisse dicitur Hell. IV 5, 13. 14. Quod vero in prooemio huius orationis bis pacem conciliavisse affirmat, cf. Hell. VI 2, 1: quo loco Xenophon primae legationis mentionem fecit, πέμψαντες πρέσβεις εἰς Λακεδαίμονα εἰρήνην ἐποιήσαντο, quorum in numero Callias fuisse videtur. Sed quo anno Callias iterum legatus Spartam venerit nescimus. Ni fallor Xen. Calliam vel sua in Spartanos beneficia augentem facit.

Loci communes, quibus in argumentando utitur, tenues exsanguesque sunt. Scilicet Triptolemi, Cereris, Proserpinae ut erat mysteriorum Eleusiniorum δᾳδοῦχος [1]) mentionem facit. Quam Atheniensium fabulam iam primis quinti saeculi decenniis pervulgatam imprimis a Sophocle Triptolemi fabula anno 468 acta exornatam esse scimus [2]). Triptolemum enim Eleusinium, postquam a Cerere frugum sationem accepisset, totum orbem terrarum perlustrasse atque agriculturam homines docuisse poeta uberrime exposuit id quod reliquiae quamvis non copiosae satis dilucide demonstrant. Ac certe quidem Sophoclis auctoritati tribuendum est, quod fabula de Triptolemi missione atque peregrinatione inter pretiosissimas Athenarum laudes a rhetoribus numerata est. Isocrates quin etiam (IV 28) mysteria Eleusinia tetigit. Sed testimonia veterum de hac fabula haud leviter inter se discrepant [3]). Atque similiter de Hercule mysteriis initiato iudicandum est. Quem alii simpliciter mysteria

---

1) de daduchi nomine cf. Thesaurum Graecae linguae ab H. Stephano corstructum: δᾳδοῦχοι dicebantur Cereris sacerdotes, quia faces noctu portabant, Cererem cum Proserpinam quaereret, imitantes.
de munere δᾳδούχου cf. Kern, P. W. IV 1979.

2) cf. Nauck trag. gr. fr.[2] p. 261 sq.

3) de Triptolemo cf. Preller-Robert, Griech. Mythologie I 1894 4. Aufl. p. 770 sq. 790 adn. 5.
Otto Schroeder: de laudibus Athenarum a poetis tragicis et ab oratoribus epidicticis excultis. Diss. Göttingen 1914 p. 19 sq.
Herm. Dettmer: de Hercule Attico. Diss. Bonn 1869 p. 65 sq.
Gruppe: P. W. Suppl. 3 (929). Hauser: Röm. Mitt. XXV 290 sq.

spectasse perhibebant, postquam, quod peregrinis initiari non liceret, a Pylio quodam adoptatus sit; simul a caede aliqua, plerumque Centaurorum, expiatum esse Herculem. Sic Plutarchus (Thes. 33) haec habet. Paulo explicatius rem tradit Apollod. II 5, 12. Herculem cum Eurystheus ei demandasset, ut Cerberum ex inferis abduceret, Eleusinem ad Eumolpum venisse, sed cum peregrinis mysteria adire non liceret, antea a Pylio adoptatum esse, tum vero mysteria eum spectare non potuisse, quippe qui nondum Centaurorum caedis causa lustratus esset. Ab Eumolpo igitur expiatus cum esset, eum initiatum ad Taenarum in Orcum penetrasse. Apud Xenophontem vero Triptolemus Herculem mysteriis initiavisse traditur; simul Xenophon praeter Herculem Dioscuros hoc honore dignos habitos docet.

Atque celeberrimas has fabulas Lacedaemoniorum gratia hunc in modum Xen. mutavisse sane veri est simillimum. Adde quod Hell. VI 5, 47 Procles Phliasius simili argumentatione usus est. Sed de hac videsis p. 104 sq. In perorando vero Callias publica facit verba neque rerum condicionibus accomodata. Quae cum ita sint, Calliam oratione sua pacem faciendam nullo modo maturavisse consentaneum est. Nam ad ipsam de qua deliberant rem ea tantum pertinent, quae dicit de unanimitate Lacedaemoniorum Atheniensiumque quippe qui sint hostes Thebanorum VI 3, 5 *ὁρῶ γὰρ οὐκ ἄλλα μὲν ὑμῖν, ἄλλα δὲ ἡμῖν δοκοῦντα, ἀλλ' ὑμᾶς τε ἀχθομένους καὶ ἡμᾶς τῇ Πλαταιῶν τε καὶ Θεσπιῶν ἀναιρέσει.*

Unde effici cogique potest, Xenophontem hanc orationem eo tantum consilio composuisse ut Calliae tumidum ac vanum ingenium certis designaret notis.

Quod vero Xenophon de ingenio moribusque Calliae contendit (VI 2, 3), eiusmodi eum fuisse virum, ut non minus a semetipso quam ab aliis laudari se gauderet hoc iudicium quam maxime congruit cum arte orandi, qua hac in oratione eum utentem facit Xen. Age vero

primum afferamus figuras, quas a Callia usurpatas videmus. VI 3, 4 *ὅταν μὲν πόλεμος ᾖ, στρατηγοὺς ἡμᾶς αἱρεῖται, ὅταν δὲ ἡσυχίας ἐπιθυμήσῃ, εἰρηνοποιοὺς ἡμᾶς ἐκπέμπει,* quo loco antitheton adhibuit, cuius membra ab iisdem verbis incipiunt; nec paria paribus non redduntur atque membrorum exitus similes sunt. *καὶ ἐν ἀμφοτέραις ταῖς πρεσβείαις διεπραξάμην καὶ ὑμῖν καὶ ἡμῖν εἰρήνην.* VI 3, 5 *ὁρῶ γὰρ οὐκ ἄλλα μὲν ὑμῖν, ἄλλα δὲ ἡμῖν δοκοῦντα,* antitheton; iterum eadem verba posuit cum pergeret *ἀλλ' ὑμᾶς τε ἀχθομένους καὶ ἡμᾶς κ. τ. λ.*

Uno loco VI 3, 4 paronomasiam scil. verba consonantia eiusdem stirpis usurpavit, dicens *πατρὸς πατὴρ πατρῴαν κ. τ. λ.*

Tribus locis erotema posuit; dico VI 3, 5 *πῶς οὖν οὐκ εἰκός κ. τ. λ.* [1]. *εἰ δὲ δὴ καὶ ὁμογνωμονοῖμεν κ. τ. λ.* VI 3, 6 *πῶς οὖν δίκαιον ἢ ὑμᾶς κ. τ. λ.*

Quarum prima interrogatio etiam in sententiarum numero referri potest. Ceterae quibus ornatur oratio sententiae sunt hae: VI 3, 5 *καὶ σωφρόνων μὲν δήπου ἐστὶ μηδὲ εἰ μικρὰ τὰ διαφέροντα εἴη πόλεμον ἀναιρεῖσθαι.* VI 3, 6 *εἰ δὲ ἄρα ἐκ θεῶν πεπρωμένον ἐστὶ πολέμους ἐν ἀνθρώποις γίγνεσθαι, ἡμᾶς δὴ χρὴ ἄρχεσθαι μὲν αὐτοῦ ὡς σχολαίτατα, ὅταν δὲ γένηται, καταλύεσθαι ᾗ δυνατὸν τάχιστα.*

Quibus locis collatis, Xenophontem in Calliae oratione componenda figuras de industria quaesivisse perspicuum est, ut magnificis inflatisque verbis adhibitis Calliae naturam et indolem, qui rebus inanibus delectatus ipse de se nimirum bene existimaret, describeret.

Iam ad alteram legatorum Atheniensium orationem accedamus. *μετὰ τοῦτον*, incipit Xenophon, *Αὐτοκλῆς, μάλα δοκῶν ἐπιστρεφὴς εἶναι ῥήτωρ ὧδε ἠγόρευεν.* (VI 3, 7). Calliam subsequitur Autocles [2], Strombichidis

---

[1] de verbis *πῶς οὖν οὐκ εἰκός κ. τ. λ.* cf. p. 81 adn. Hoc vero loco argumentum *ἐκ τοῦ εἰκότος* adhibet.

[2] de Autocle cf. Judeich P. W. II (2598) 2.

filius, quem et exercitui praefuisse et in re publica versatum esse scimus. Autoclis autem tota oratione Lacedaemonii omnino vituperationem subeunt atque ipse incipit his verbis ὅτι μὲν ἃ μέλλω λέγειν οὐ πρὸς χάριν ὑμῖν ῥηθήσεται οὐκ ἀγνοῶ.

Praemittitur prooemium: etsi invitis Lacedaemoniis, quicumque pacem conciliare in animo habet, quaenam causae fuerint bellandi demonstret necesse est. In Lacedaemoniis vero omnem culpam bellandi esse (VI 3, 7 - τὰ αἴτια τῶν πολέμων).

Sequitur argumentatio § 7 ὑμεῖς δὲ ἀεί κ. τ. λ.; argumentorum vero primum et tertium sunt tripartita.

1) propositio: ὑμεῖς δὲ . . . αὐτονομίᾳ. Lacedaemonios ceteras civitates legibus suis uti prohibuisse contendit.
ratio: συντίθεσθε μὲν γὰρ . . ἡγῆσθε; civitates enim cum Lacedaemoniis foedere coniunctae quocumque Lacedaemonii sunt profecturi una proficisci coguntur.
conclusio: καίτοι τί τοῦτο αὐτονομίᾳ προσήκει;

2) ποιεῖσθε δὲ πολεμίους κ. τ. λ. (VI 3, 8) Lacedaemonii nulla sociorum ratione habita bella suo arbitratu indicunt.

3) propositio ἔτι δὲ τὸ πάντων . . τριακονταρχίας. Ubique Lacedaemoniis auctoribus ἄρχοντες constituuntur.
confirmatio: καὶ τούτων . . . τὰς πόλεις. Nam Lacedaemonii nihil aliud curant, nisi ut illi ἄρχοντες auctoritatem suam vi obtineant.
conclusio: ὥστ' ἐοίκατε τυραννίσι μᾶλλον ἢ πολιτείαις ἡδόμενοι.

4) καὶ ὅτε μὲν βασιλεύς κ. τ. λ. Thebanis civitates sua iura et suas leges habere non sinentibus Cadmea occupata Lacedaemonii ipsi Thebanis libertatem eripuerunt.

A verbis *δεῖ δὲ τοὺς μέλλοντας κ. τ. λ.* brevis incipit peroratio, ultimae argumentationi artissime coniuncta. Qui amici veri esse volunt, eis non licet ab aliis iustum postulare cum ipsi vel iniustissime maximam appetant potentiam.

Quae oratio, quamquam Xenophon ut brevis sit laborat, tamen haud inconsiderate facta videtur esse. Paucis quidem schematis Xenophon in Autoclis oratione usus est:

VI 3, 7 *ὑμεῖς δὲ ἀεὶ μὲν φατε· αὐτονόμους κ. τ. λ. αὐτοὶ δ'ἐστὲ μάλιστα . . αὐτονομίᾳ.* antitheton.

VI 3, 8 *καὶ τούτων τῶν ἀρχόντων ἐπιμελεῖσθε οὐχ . . ὅπως . . ἀλλ' ὅπως* . . antitheton.

VI 3, 9 *καὶ ὅτε μὲν βασιλεύς . . ἐπεὶ δὲ παρελάβετε* . . antitheton.

Uno loco VI 3, 8 interrogationem adhibuit: *καίτοι τί τοῦτο αὐτονομίᾳ προσήκει;* atque ipsam perorationem sententiam esse dicas.

Atque tria illa antitheta profecto non ornandi causa adhibuit, sed quoniam Lacedaemonios aliud sentire, aliud facere contendit, nisi antithetis usurpatis sententiam proferre vix poterat. Tamen verborum compositio ingenio Autoclis atque indoli optime accomodata esse videtur. Orator enim importunissimus videtur esse, natura asper atque Lacedaemoniis iniquissimus, quibus omnem culpam bellorum gestorum assignat, ut valde differat ab leni illo placidoque Callia; verba dicit aspera, gravia, vehementissima, vixdum elegantia; argumentationibus utitur brevibus atque gravissimis. Re vera oratur videtur *ἐπιστρεφής*, ut ait Xenophon (VI 3, 7). Sed ad animos Lacedaemoniorum conciliandos Autoclis verba sane apta non sunt, quam ob causam *σιωπὴν μὲν παρὰ πάντων ἐποίησεν, ἡδομένους δὲ τοὺς ἀχθομένους τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐποίησε.* (VI 3, 10).

Quo in ipso rerum discrimine Xenophon Callistratum [1]) dicentem inducit (VI 3, 10—17). Callistratum

[1]) de Callistrato cf. **Swoboda**, P. W. X (1730) 1. **Schaefer**, Demosth. I p. 11 sq. **Beloch**, Att. Politik p. 145 sq.

vero, Callicratis filium, contionatorem, ad voluptates quidem intemperantem, ceterum in administranda re publica industrium fuisse Theopompus[1]) narravit. Artem eius dicendi Demosthenes laudat[2]). Aeschines[3]) quin etiam aliorum oratorum dicta iis quae Callistratus dixisset, metitur. Quare eorum quae Callistratus haud scio an conscripserit, nihil servatum esse valde dolemus.

Inde ab anno 373 Callistratus principem in re publica Atheniensium obtinuit locum atque omnes curas in eo defigebat, ut pacem pararet atque servaret. Hoc unum cupiebat atque optabat: ut Athenienses cum Lacedaemoniis coniuncti pristinum principatum obtinerent omnium Graecorum. Qua de causa cum Thebanorum imperium repudiet, acerrimus fit horum adversarius. Quae res ex oratione, quam Xenophon eum Spartae habentem fecit, optime intelleguntur. Primis quae profert verbis *ἀλλ' ὅπως μὲν οὐκ ἐγγεγένηται ἁμαρτήματα κ. τ. λ.* Callistratus orationem suam ad ipsam Autoclis, qui Lacedaemoniorum perfidiam coarguerat, orationem adiungit. Verba autem, quibus Lacedaemonios alloquitur, Autocle multo mitiorem atque placabiliorem eius animum illustrant. Incommodum ex acerbissimis Autoclis verbis acceptum sanare, verba eius mitiorem in partem vertere studet; atque ut silentii molestissimi quasi finem faciat, non solum Lacedaemonios sed etiam Athenienses peccavisse confitetur; Atheniensium vero vitia priore loco (*ἀφ' ἡμῶν καὶ ἐφ' ὑμῶν*) commemorat. Tamen agendi facultatem esse affirmat,

1) neminem enim vitiis vacare atque

2) damno, vitia secuto, affectos homines *εὐπορωτέρους* fieri. *καὶ ὑμῖν δὲ ἔγωγε ὁρῶ διὰ τὰ ἀγνωμόνως πραχθέντα ἔστιν ὅτε πολλὰ ἀντίτυπα γιγνόμενα.* Cuius rei exemplum petit a Cadmea occupata. Thebanis enim iniuria affectis ceterae civitates Thebanorum partes secutae sunt. Itaque et Lacedaemonii et Athenienses

1) cf. frgm. 90 Grenfell-Hunt apud Athen. IV 166 e.
2) exempli causa afferro Dem. XVIII 219.
3) cf. Aeschin. II 124.

experti sciunt: opes iniuste concupiscentes damno affici. In amicitia igitur eos modum servaturos esse sperat (11). Quibus verbis audientium animi ad propositum quasi reducuntur, ut de pacis condicionibus porro agatur. Fama, quae Atheniensibus amicitiam Lacedaemoniorum non curae esse dicat, reiecta (12), quam tandem ob rem Athenienses pacem concupiscant quaerit. Athenienses enim necessitate coactos (*ἀποροῦντες*) de pace cum Lacedaemoniis agere negat (13).

Fortissimum illud a Callistrato propositum argumentum nos nescire valde dolemus, cum verba quae sequuntur *τί μήν ἐστιν . . . ἐπιδεῖξαι* corrupta sint. Ni fallimur hoc loco exponere debebat, quam ob causam Athenienses re vera ut pacem facerent Spartam venerint. Quod ut facerent eos nulla alia causa commotos esse nisi ut sociis resisterent, veri simile non est. Quare haud pauca hoc loco interiisse videntur [1]).

Altero vero vel tertio loco Callistratus Athenienses ut gratos Lacedaemoniis se praebeant, de pace agere affirmat:

1) non solum enim Atheniensibus sed etiam Lacedaemoniis pacem usui esse (14). Quo loco imprimis commemoranda puto verba VI 3, 14, quibus Atheniensibus Lacedaemoniisque amicitia coniunctis, omne periculum remotum iri affirmat, terra marique invictis. Quae cum legimus, Callicratidae verborum reminiscimur (I 6, 8) *ἂν σωθῇ οἴκαδε, κατά γε τὸ αὐτοῦ δυνατὸν διαλλάξειν Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους.*

Quae ipsius Xenophontis hac in tertia Hell. parte est sententia communem Lacedaemoniorum atque

---

[1]) cf. Banderet p. 53: „Es muß nicht weniges ausgefallen sein, denn daß sie Freundschaft schließen müssen, nur um gegen den Widerstand von seiten der Bundesgenossen stark zu sein, ist nicht genügend.“
Marchant-Underhill ad hunc locum: „The text seems to be altogether corrupt, and as there is no direct reference to it in the context, satisfactory emendation seems to be impossible.“ cf. Underhill, Critical notes and appendix p. 361, quo loco varias coniecturas collegit.

Graecorum salutem sitam esse in restituendo Atheniensium navali principatu. Quare Xen. iam VI 3, 5 Calliam de unanimitate Lacedaemoniorum Atheniensiumque dicentem fecit. Atque similia legimus VI 5, 34 et VII 1, 2.

2) Lacedaemonios ut pacem faciant priusquam exhausti atque defatigati sint, adhortatur (15—16). Quo loco duas similitudines intexuit, ut quanta incommoda nimia *φιλονικία* paret, luculenter illustret. Primum vituperat *ἀγωνιστάς*, qui *νενικηκότες ἤδη πολλάκις καὶ δόξαν ἔχοντες οὕτω φιλονικοῦσιν ὥστε οὐ πρότερον παύονται, πρὶν ἂν ἡττηθέντες τὴν ἄσκησιν καταλύσωσιν.*

Quorum verborum nomen *ἀγωνιστής* complectitur omnes gymnicos certatores, et illud *ἄσκησις* proprie de certatorum exercitationibus dicitur atque ipsum exercendi actionem significat. Veteres vero scriptores frequenter ac libenter athletarum arte in translationibus usos esse nemo ignorat. Ipse quoque Xenophon Mem. I 2, 24 similitudinem ex athletarum arte depromptam adhibuit, ubi item illo substantivo *ἄσκησις* utitur.

Alteram vero similitudinem ab aleatoribus sumpsit: *οὐδέ γε* (scil. *ἐπαινῶ*) *τῶν κυβευτῶν οἵτινες αὖ ἐὰν ἕν τι ἐπιτύχωσι, περὶ διπλασίων κυβεύουσιν. ὁρῶ γὰρ καὶ τῶν τοιούτων τοὺς πλείους ἀπόρους παντάπασι γιγνομένους.* Graecos libenter alea vel tesseris lucri causa lusisse scimus. Alearum vero ludus exercebatur ossiculis illis *ἐκ τῶν σφυρῶν* carnis involucro nudatis; differunt a tesseris qui plerumque a Graecis appellantur *κύβοι* [1]).

In perorando Callistratus Lacedaemonios iterum orat atque rogat, ut amicitiam cum Atheniensibus iungant, dum utrique valeant atque fortunae favore

---

[1]) de verbo alea cf. Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités I q. 179: „Ces mots désignent en général tous les jeux de hasard, mais plus spécialement le jeu de dès (tali, tesserae, par impar etc.). — praeterea cf. V p. 28 sq. — vide sis Baumeister: Denkmäler d. klass. Altertums I (1889) p. 141 sq. quo loco aleatores depicti sunt adde I p. 684, ubi milites *κυβεύοντας* videmus.

utantur, quo modo *ἔτι μείζους ἢ τὸν παρελθόντα χρόνον ἐν τῇ Ἑλλάδι ἀναστρεφοίμεθα.* (VI 3, 17).

Iam figuras colligam, quibus Xenophon hac in oratione Callistratum utentem facit. VI 3, 10 quinquies verbum eiusdem stirpis posuit: *ἁμαρτήματα, ἁμαρτάνουσιν, ἀναμάρτητον, ἁμαρτάνοντες, ἁμαρτημάτων.* Sed non ita verba composuit, ut paronomasiam efficeret.

VI 3. 12 *βασιλεὺς μὲν γὰρ δήπου ἔγραψε . . . ἡμεῖς δὲ ταὐτὰ κ. τ. λ.* antitheton, cuius alterum membrum erotema est: *τί ἂν φοβοίμεθα βασιλέα;* atque eadem in paragrapho VI 3, 12 ut adversarios confutaret subiectionem adhibet in verbis *ἢ τοῦτο οἴεταί τις κ. τ. λ.* VI 3, 13 pergit interrogans *τί μὴν ἥκομεν;* atque iterum subiectione usus est in verbis *ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἀποροῦντες κ. τ. λ.*

Qua in refutatione duo membra ab iisdem incipiunt verbis: *εἰ μὲν βούλεσθε κ. τ. λ.*, quorum membrorum exitus verbis etsi non eiusdem stirpis aliquatenus similes reddidit: . . *ἰδόντες,* . . *ἐκ τῷ παρόντι.* .

Adde quod membra *εἰ μὲν βούλεσθε . . . εἰ δὲ βούλεσθε* . . parison efficiunt. VI 3, 14 duo antitheta continet: *εἰσὶ μὲν δήπου πασῶν τῶν πόλεων αἱ μὲν τὰ ὑμέτερα, αἱ δὲ τὰ ἡμέτερα φρονοῦσαι, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οἱ μὲν λακωνίζουσιν, οἱ δὲ ἀττικίζουσιν.* Quorum altero in contrario paria paribus redduntur atque membrorum exitus sunt similes. Ad hoc scatet haec paragraphus interrogationibus: *πόθεν . . . . προσδοκήσαιμεν; καὶ γὰρ ὑμῶν φίλων ὄντων . . λυπῆσαι; κατὰ θάλασσάν γε . . . ἡμῶν ὑμῖν ἐπιτηδείων ὄντων;* quibus in interrogationibus multorum verborum exitus similes sunt. VI 3, 15 quamquam verborum exitus similes fecit: *γίγνονται . . καταλύονται*, tamen ex hoc loco Xenophontem figuras Gorgieas non semper consulto quaesivisse satis elucet. Neque enim dubito quin Gorgias verba hunc fere in modum positurus fuerit *ἀλλὰ μέντοι πάντες ἐπιστάμεθα ὅτι μὲν πόλεμοι ἀεί*

ποτε γίγνονται καὶ ἀεί ποτε καταλύονται, καὶ ὅτι δὲ τῆς εἰρήνης ἡμεῖς, ἂν μὴ νῦν, ἀλλ' αὖθίς ποτε ἐπιθυμήσομεν. — τί οὖν δεῖ . . erotema.

VI 3, 17: *ὥστ' ἢ πάντα λαβεῖν ἢ πάντ' ἀποβαλεῖν*; antitheton et homoeoteleuton et anaphora. Nonnullis etiam sententiis Xenophon Callistrati ornavit orationem. *ὁρῶ γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐδένα ἀναμάρτητον διατελοῦντα. δοκοῦσι δέ μοι καὶ εὐπορώτεροι κ.τ.λ.* (VI 3, 10). *τό πλεονεκτεῖν ἀκερδές ἐστιν* (VI 3, 11). Quibus locis collatis Xenophontem Callistrati orationem artificiosissime composuisse cognoscimus. Etsi figuras Gorgieas haud frequenter neque de industria consectatus est, tamen hanc Callistrati orationem eum non minus diligenter scripsisse consentaneum est quam Calliae atque Autoclis verba. Mirum sane est, quod Xenophon hac in tertia oratione antitheta omnino fere omisit atque haud scio an hanc figuram qua Autoclis oratio nimia acerbitate Lacedaemonios perstringens abundat, consulto vitaverit, ut placabile Callistrati ingenium significaret. Re vera enim Callistrati orationem omnes qui aderant laudavisse atque comprobavisse Xenophon narrat atque *ἐψηφίσαντο καὶ Λακεδαιμόνιοι δέχεσθαι τὴν εἰρήνην.* (VI 3,18). Trium igitur illarum orationum, quas Xenophon de pace cum Lacedaemoniis facienda Atheniensium legatos Spartae habentes fecit, Callistrati orationem maximi ad pacem impetrandam fuisse momenti apparet. Callistratum vero principem esse in pace facienda iam ex verbis illis elucet, quae sunt VI 3, 3: *Καλλίστρατος δὲ ὁ δημηγόρος παρῆν. ὑποσχόμενος γὰρ Ἰφικράτει, εἰ αὐτὸν ἀφείη, ἢ χρήματα πέμψειν τῷ ναυτικῷ ἢ εἰρήνην ποιήσειν, οὕτως Ἀθήνησί τε ἦν καὶ ἔπραττε περὶ εἰρήνης.*

Iucundam igitur vicissitudinem effecit Xenophon tribus illis legatorum orationibus callide dispositis. Primum enim Calliam audimus loquentem, quem dicas loquacem ac garrulum hominem potius quam facundum; deinde Autoclem Lacedaemonios adeo vituperantem ut

pacem confici atque confirmari paene prohibeat; postremo Callistratum lenientem acerbitatem atque Atheniensium Lacedaemoniorumque foedus aptissimis verbis suadentem. Adde quod Xenophon verba eorum, quos dicentes induxit ingenio atque indoli bene accomodavit, simul vero res, quas proferunt maximam partem secundum historiae fidem reddidit. Sed tamen etiam trium harum orationum cum verba tum sententiae Xenophontis sunt. Atque suo iure Banderet (p. 49) qua re permotus Xenophon has argumentationes tribus illis oratoribus tribuerit quaesivit. Praecipue vero Callistrati causa has orationes ita compositas esse consentaneum est. Scilicet Callistrati ingenium, quod valde admirabatur, hoc modo Xen. optime ante oculos legentium ponere conabatur, qui Atheniensium Lacedaemoniorumque animos conciliaverit atque ea assecutus esse videretur, quae Xenophon ipse illis temporibus quam vehementissime cupiebat atque optabat. Quo modo Xenophon simul suas ipsius opiniones aperire poterat. Tunc temporis enim Athenienses Lacedaemoniis foedere coniungendos esse persuasum habebat, ut principatum Graecorum una obtinerent atque Thebanis resisterent. Quae cum ita sint, tres illae orationes Atheniensium Spartae habitae valde differunt a Polydamantis oratione VI 1, 4 sq. neque eodem tempore scriptae esse possunt. Polydamas enim Atheniensium quadam cum despicientia mentionem fecit VI 1, 10 sq., qui *εἰς νησύδρια ἀποβλέπουσιν* (11).

Quod vero tres orationes non seiungendas Xenophon hoc Hellenicorum loco una inseruit, in memoriam nostram redigunt cum Thucydidem tum Herodotum. Initio enim sexti libri Thucydides bis ternas orationes narrationi intexuit, quae separari non possunt. Consilio Atheniensium convocato anno 415 a. Chr. n. primus Nicias cives alloquitur ut dehortetur a bello cum Siculis gerendo (VI 9—14). Qua expeditione ab Alcibiade vehementissime commendata (VI 16-18) Nicias paucis verbis ut omnes cautiones adhibeant, cives bellandi avidos admonet (20-23).

Interim Syracusanis de adventu classis Atheniensium rumores afferebantur, quibus alii fidem habebant, alii contradicebant. Hermocrates (33-34) vero oratione prima non solum credibilem et certam rem esse demonstrat, sed etiam ut obviam eant Atheniensibus Tarentum usque suadet. Athenagoram deinde virum summae apud populum auctoritatis prodeuntem Thucydides fingit (36-40), ut Hermocratem turbulenta oratione mendacii coarguat. Denique sententiarum contentionem unus e praetoribus dirimit, in Hermocratis rationem propensior (41). Cum vero praetoris verba responsionis ab Hermocrate datae locum obtineant, Thucydides has orationes Athenis atque Syracusis habitas ita composuit ut inter se congruant atque tres Atheniensium orationes tribus Syracusanorum orationibus respondeant.

Herodotus autem III 80 sq. clarissimos tres Persarum iuvenes de optima rei puplicae forma ita disputantes inducit, ut Otanes imperium populi (80), Megabyzus optimatum principatum (81), Darius unius dominatum (82) quam diligentissime commendet [1]).

Sed ad Xenophontem redeamus. Restat enim, ut quomodo disceptatio ad finem perducta sit breviter disseram. Paucis verbis Xenophon pacem factam esse exponit his legibus, ut Lacedaemonii harmostas undique revocarent, exercitus omnes dimitterent, civitates libertate frui sinerent; at si quis has condiciones respueret atque dimitteret, quemvis opem ferre posse violatis. Iurarunt igitur Lacedaemonii suo sociorumque nomine, Athenienses autem eorumque socii singuli suarum civitatum nomine. Thebanorum vero res manebat ambigua. Postquam enim inter ceteras, qui sacramentum praestiterant, nomen suum professi sunt, postridie reversi eorum legati petebant, uti mutata scriptura, pro Thebanis substitueretur iurasse Boeotos. Quibus respondebat Agesilaus nihil eorum se mutaturum, quae prius et

---

[1]) cf. Aly: Volksmärchen, Sage u. Novelle bei Herodot u. seinen Zeitgenossen, Göttingen 1921 p. 105 sq.

sacramento confirmassent et fuissent professi: quod si foederis participes esse nollent, deleturum se nomen ipsorum, si iuberent (III 3, 18 sq.).

Quo loco Nepos (vita Ep. VI 4) Epaminondam orationem habuisse narrat, qua Lacedaemonios de tyrannide vehementissime obiurgaverit. Qua de re apud Diodorum nihil legimus. Sed etiam Plutarchus (Agesil. 28) altercationem Agesilai Epaminondaeque[1]) memoriae prodidit, qua Plutarchea vita Pausanias IX 13, 2 quoque usus est. E. Meyer V 941 quae apud Nepotem et Plutarchum sunt, coniungenda esse censuit, at Banderet[2]) ea, quae Xenophon memoriae prodidit, ad fidem historiae composita esse affirmat.

Ex iis quae sequuntur, primum mentionem facio Prothoi Lacedaemonii, quem quamquam Xenophon non nisi VI 4, 2 commemorat[3]), inter omnes notum fuisse ex verbis apparet, quibus Xenophon utitur: *Προθόου λέξαντος* verbo *τινὸς* omisso[4]). Prothous Lacedaemoniis, ut Cleombroti exercitum *κατὰ τοὺς ὅρκους* dimitterent atque civitatum Graecarum libertatem tuerentur suasit; *οὕτω γὰρ ἂν ἔφη οἴεσθαι τούς τε θεοὺς εὐμενεστάτους εἶναι καὶ τὰς πόλεις ἥκιστ' ἂν ἄχθεσθαι*; haud scio an Xenophon Prothoum, ut Lacedaemoniis parceret, non eius ipsius verbis dicentem induxerit. Lacedaemonii enim bene monentem irridentes recusaverunt: *ἡ δ'ἐκκλησία ἀκούσασα ταῦτα ἐκεῖνον μὲν φλυαρεῖν ἡγήσατο.* Simul vero Cleombrotus ephororum iussu adversus Thebanos profectus est (VI 4, 3).

VI 4, 5 Xenophon Cleombroti amicos suis ipsorum verbis dicentes finxit, ducem ad pugnam Leuctricam incitantes *εἴπερ οὖν ἢ σαυτοῦ κήδῃ ἢ τῆς πατρίδος ἐπιθυμεῖς, ἀκτέον ἐπὶ τοὺς ἄνδρας* (scil. *Θηβαίους*). Sed adversarios quoque dicentes induxit, qui Cleombrotum a proelio prohibere student: *νῦν δή, ἔφασαν,*

---

1) de Epaminonda cf. Banderet p. 62 sq. atque adnotationem ab E. Meyer adiectam p. 64. — Bruns p. 45.
2) cf. Banderet p. 55 sq.
3) cf. Plut. Agesil. 28.
4) cf. Banderet p. 58 p. 62 adn.

δηλώσει ὁ ἀνὴρ εἰ τῷ ὄντι κήδεται τῶν Θηβαίων, ὥσπερ λέγει [1]. Quo loco Xenophon quoniam et amicos et adversarios ipsorum verbis dicentes induxit, suae ipsius consuetudini indulgens narrationem composuit. Quibus verbis id egit ut, qua re permotus Cleombrotus exercitum in aciem illam funestissimam produxisset proponeret. Quam ob causam pergit (VI 4, 6) *ὁ μὲν δὴ Κλεόμβροτος ταῦτα ἀκούων παρωξύνετο πρὸς τὸ μάχην συνάπτειν.*

Contra VI 4, 6—7 Thebanos similiter etsi non ipsorum verbis ratiocinantes audimus, utrum proelio decernant necne.

Pugna vero commissa atque Lacedaemoniis devictis *τοὺς τῶν Λακεδαιμονίων πολεμάρχους* secum reputantes VI 4, 15 Xenophon finxit *τί χρὴ ποιεῖν*, ut nos de rebus perditis Lacedaemoniorum certiores faceret.

Thebani vero statim post pugnam nuntium Athenas mittunt, ut cum victoriae magnitudinem exponat, tum ad opem ferendam Athenienses hortetur (VI 4, 19—20). Cuius verba ipsa Xenophon memoriae non prodidit.

Verborum quibus Iason Hell. VI 4, 21—26 Thebanos Lacedaemoniosque ut belli finem faciant, adhortatur, iam supra p. 81 sq. mentionem feci.

Hell. VI 5, 1—2 Athenienses arcessunt ad se civitates omnes quotquot participes esse velint illius pacis, quam rex praescriptam ad ipsos misisset. Atque decretum faciunt una cum iis, qui venire in societatem velint, ut persistant in foederibus a rege missis. Quod iusiurandum ceteris placebat omnibus, solis Eleis adversantibus. Sed quae Elei contradixerunt Xenophon non verbotenus tradidit.

VI 5, 4 sq. Agesilaum legatum Lacedaemoniorum ad Mantineenses missum esse comperimus. Sed *τὸν μὲν δῆμον τῶν Μαντινέων οἱ ἄρχοντες οὐκ ἤθελον συλλέξαι αὐτῷ.* Neque verba Agesilai ipsa legimus, neque, quae Mantineenses responderint. Xenophon enim

---

[1] cf. Banderet p. 61.

in ultima Hellenicorum parte consulto atque prudenter omni occasioni dialogorum inserendorum defuisse videtur. Exempli causa Agesilai in Mantineenses factam expeditionem [1]) commemoro (VI 5, 10—21). Poenam a Mantineensibus repetitum Lacedaemonii mittunt Agesilaum. Sed quamquam interim illi Orchomeniis rursus bellum intulerunt, tamen Agesilaus cunctandum ratus, cum hostes in campo potestatem sui non facerent, in Laconicam reversus dimisit exercitum domumque rediit.

Quam Agesilai expeditionem quamquam Xenophon ordine res, ut gestae sunt, narravit atque de singulis rebus fusius scripsit [2]), tamen Agesilaum nunquam dicentem finxit, quamquam Xenophontem ipsum illi Agesilai expeditioni anno 370 interfuisse [3]) verisimile est. Exercitu vero dimisso Xenophon, cum pugna Leuctrica commissa Scillunte expulsus esset, Corinthum se contulit, ubi paulo post [4]) patriae suae reconciliatus esse videtur. Athenas revocatus reversus ille quidem non est, sed extrema vitae aetate eum omnino amicissimum Atheniensium se praebuisse cum ex iis, quae in illa ultima Hellenicorum parte narravit, tum ex orationibus, quas huic parti inseruit, facile intellegi potest. Thebani vero illa aetate Xenophonti summae erant invidiae, cum illorum principatum ceteris Graecorum civitatibus plurimum nocere putaret.

Quas res, ut eo magis intellegamus, ad orationes, quas ultimo sexti libri capiti inseruit, accedamus: VI 5, 33 sq. Thebani ab Arcadibus arcessiti cum Agesilaum domum abiisse comperissent, et ipsi domum redire volebant; sed multorum precibus et cohortationibus victi in Laconicam irruperunt et vastatis agris prope accesserunt ad ipsam urbem Spartam. Urbe Lacedaemoniorum ab Arcadibus atque Thebanis circumventa *οἱ Ἀθηναῖοι*

---

1) de qua cf. Banderet p. 70 sq.
2) velut de sacrificio (12), de urbe Eutaea (12), de exercitus receptu (20—21).
3) cf. Ed. Schwartz p. 176. 4) anno 369 cf. Schwartz p. 176.

ἐν φροντίδι ἦσαν ὅτι χρὴ ποιεῖν περὶ Λακεδαιμονίων καὶ ἐκκλησίαν ἐποίησαν κατὰ δόγμα βουλῆς. Interim et Lacedaemonii Athenas legatos miserunt, qui Atheniensium opem implorarent. Quorum nomina Xenophon VI 5, 33 enumerat. Sed non ipsorum verbis eos dicentes finxit: *σχεδὸν πάντες* enim *παραπλήσια ἔλεγον*. Uno modo loco (35) pauca verbotenus inseruit: *εἷς δὲ αὐτῶν καὶ ὧδέπως εἶπεν* . . . Quorum in orationibus illud quam maxime movit Athenienses, quod Lacedaemonii olim Thebanorum auctoritati obstiterant neque Atheniensium civitatem plane excindi passi erant: VI 5, 35: *μέγιστον δὲ τῶν λεχθέντων παρὰ Λακεδαιμονίων ἐδόκει εἶναι, ὅτι ἡνίκα κατεπολέμησαν αὐτούς, Θηβαίων βουλομένων ἀναστάτους ποιῆσαι τὰς Ἀθήνας σφεῖς ἐμποδὼν γένοιντο* (cf. II 2, 20). Pauca vero eorum quae Lacedaemoniorum legati dixerant, Athenienses animo iniquissimo infestissimoque reiciunt. Verba enim *ὡς νῦν Θηβαίους τὸ λεγόμενον δὴ δεκατευθῆναι ἐλπὶς εἴη* quamquam Athenienses ipsi paulo ante Spartae dixerant (VI 3, 20), a Lacedaemoniorum legato auxilium petente non accipiunt, *ἀλλὰ θροῦς τις τοιοῦτος διῆλθεν ὡς νῦν ταῦτα λέγοιεν, ὅτε δὲ εὖ ἔπραττον, ἐπέκειντο ἡμῖν* (VI 5, 35). Legati vero addunt pro argumento: Lacedaemonios *κατὰ τοὺς ὅρκους* Atheniensibus adiuvandos esse; quam argumentationem multi Athenienses eodem modo reiciunt: *διέθει οὖν καὶ τούτους τοὺς λόγους θόρυβος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* (VI 5, 36). Quam de turbulenta contione narrationem Xenophon simili modo composuit atque iudicium, quo duces post pugnam apud Arginusas commissam capitis damnati sunt I 7, 12 sq.; vel populi in portu Alcibiadem redeuntem exspectantis recordamur (I 4, 13 sq.). Quibus locis Xenophonti sane contigit, ut populi animos clamitantium rumoribus inserendis optime illustraret. Similiter vero atque Callistratus Atheniensis paulo ante Lacedaemoniorum, tum Corinthius Cliteles atque Phliasius Procles Atheniensium animos reconciliaverunt. Pauca tantum verba Cliteles

VI 5, 37 facit. Corinthios iniuria affectos atque eam ob causam Atheniensibus adiuvandos esse argumentis comprobare studet. Omnes enim iureiurando teneri. *καὶ ταῦτα ὧν αὐτοὶ ἐπεμελήθητε ὅρκων ὅπως πᾶσιν ὑμῖν πάντες ἡμεῖς ὀμόσαιμεν*; quibus Clitelis verbis Athenienses laeti acclamaverunt. *ἐπὶ δὲ τούτῳ ἀνέστη Προκλῆς Φλειάσιος*, cuius oratio satis est memorabilis (VI 5, 38—48). Proclem Hipponici filium Agesilai hospitio usum esse Hell. V 3, 13 legimus. Eadem quae Corinthii Clitele auctore consecuti sunt, Lacedaemonii Proclis oratione adipiscuntur.

Proclis vero oratio hanc fere habet dispositionem:

Oratio est omnis divisa in partes duas, scilicet argumentationem atque exornationem, quarum alterius partis initium verbis *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* VI 5, 45, quibus Procles audientes iterum alloquitur, significatur.

I) Thebani Lacedaemoniis remotis statim ipsis Atheniensibus bellum inferent, quos solos impedimento esse arbitrantur, quominus ipsi Graecis imperent (38). Quae cum ita sint Athenienses, Lacedaemonios adiuturi, sibi ipsis opem ferent. Thebanos enim infestissimos Atheniensium vicinos principi inter Graecos loco potiri Atheniensibus longe molestius est quam si procul adversarios habent. Atque Lacedaemoniorum societate adiuti Athenienses procul dubio victores proelio cum Thebanis commisso discedent. (39).

Nolite igitur timere, ait, ne Lacedaemonii rursus corroborentur; immo si Lacedaemoniis auxilium feretis, illos beneficio obstringetis in omne tempus, praesertim cum multis testibus, deis scilicet omnibusque Graecis ac barbaris, beneficiis afficiantur (40—41). Quoniam Lacedaemonii pristinis temporibus fortissimos se praebuerunt, — bella cum Persis gesta atque aciem ad Thermopylas collocatam commemorat — eos adiuvari iustissimum est, quos strenuos pugnandi socios semper

fore veri simile est. (42—43). Adde quod non solum ipsi Lacedaemonii sed etiam illorum socii Atheniensibus mutua officia debebunt. Quae etsi exigua videntur esse oppida, Atheniensibus sociis accedentibus non iam parva sunt amplius (44).

II) Notum est Athenienses iam saepe auxilium petentibus adfuisse. Exempli causa praedicat Argivos *ἐπὶ τῇ Καδμείᾳ* caesos sepultos (46) et Herculis liberos servatos (47) Atheniensium auctoritate. Quae cum ita sint Atheniensium est, Lacedaemoniis opem ferre, qui cum de Atheniensibus tum de omnibus Graecis optime meriti sint (48).

Quae Proclis oratio generi deliberativo profecto attribuenda est. Sed Xenophon rhetorum de deliberativis componendis orationibus leges secutus non est. Deest enim prooemium, quia Proclis verba legatorum orationibus verbisqe Clitelis artissime adnexa atque adaptata sunt. Deest narratio, quia quibus de rebus disputaturus est, omnibus notae sunt. Quae cum ita sint, Procles inde ab initio orationis argumentatur, qua satis ampla argumentatione (38—44) Lacedaemonios Atheniensibus adiuvandos esse comprobare studet. Praecipue vero de utilitate ambigitur. *εἰ δ' οὕτως ἔχει, ἐγὼ μὲν οὐδὲν μᾶλλον Λακεδαιμονίοις ἂν ὑμᾶς ἡγοῦμαι στρατεύσαντας βοηθῆσαι ἢ καὶ ὑμῖν αὐτοῖς. . . συμφορώτερόν γε μεντἂν ὑμῖν αὐτοῖς βοηθήσαιτε κ. τ. λ.* (39). . . . *ἐὰν δεομένοις βοηθήσητε Λακεδαιμονίοις, κτήσασθαι τούτους εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον φίλους ἀπροφασίστους* (41). . . *εὖ γὰρ ἴστε ὅτι οἵπερ τούτοις πιστοὶ διαμένουσιν ἐν ταῖς συμφοραῖς, οὗτοι καὶ ὑμῖν αἰσχύνοιντ' ἂν μὴ ἀποδιδόντες χάριτας* (44). Quam argumentationum seriem § 40 duobus locis communibus adhibitis amplificavit: *ἐνθυμήθητε ὅτι . . . δυνασθῶσιν.* Porro rem amplificat dicens: *ἐνθυμεῖσθαι δὲ καὶ τάδε χρή, . . . προπεπονημένων.* § 41 bis deorum mentionem facit, unde pium erga deos animum cum Proclis tum Xenophontis cognoscimus.

Persarum quoque bellum, ut Atheniensium animos ad auxilium ferendum incitet, § 43 commemorat. Facillime Athenienses una cum Lacedaemoniis sociis sibi adiunctis barbarorum, si opus erit, vim propulsaturos esse sperat, praesertim cum Lacedaemonii olim apud Thermopylas fortissime adversus Persas pugnaverint pro patriae libertate. Quo loco Procles *ἀπὸ τοῦ δικαίου* disserit: *πῶς οὖν οὐ δίκαιον κ. τ. λ.* Atque ubi sociorum mentionem facit (44), cum omnium tum Phliasiorum fidem laudibus ornare atque efferre studet.

Altera vero Proclis orationis pars exornationem complectitur; exemplis enim ex historia petitis animos Atheniensium incendere atque inflammare studet. Qua de causa § 46 summam illam Thebanorum iniuriam commemorat, quod anno 404 (Hell. II 2, 20) ut omnes Athenienses urbe diruta in servitutem abducerentur, postulaverunt.

Tum similiter atque in oratione a Callia habita (VI 3, 6) locos communes ex historia fabulari depromptos profert. Atheniensium pietatem et religionem erga homines supplices calamitateque vexatos ut exemplis probet, primum de septem illis heroibus Atheniensium ope sepultis verba facit. Nam septem illi, cum contra Thebas Argis profecti cladem accepissent, Athenienses Adrasti, Argivorum regis, auctoritate permoti armorum vi effecisse feruntur, ut caesis Argivis sepultura a Thebanis concederetur. Aeschylus primus Theseum Argivorum occisorum sepulturam a Thebanis impetrasse testis fuit, quam fabulam enarravit Eleusiniis, cuius tragoediae argumentum Plutarchus in vit. Thes. 29 servavit. Rhetores deinde iterum et saepius illud Atheniensium beneficium praedicaverunt. Athenienses vero secundum Aeschyli fabulam legatis Thebas missis sepulturam effecerunt; idem in Isocratis Panathenaico legimus (XII 168 sq.). Apud Euripidem autem in Hicetidum fabula atque in Isocratis Panegyrico (IV 55,58) Athenienses vi et armis assecutos esse comperimus, ut Thebani

Argivorum cadavera ad sepeliendum traderent. Eandem quoque Herodotus IX 27 profert fabulam [1]).

Cum septem ducum Argivorum sepultura oratores Attici artissime coniungebant Heraclidarum res. Ita factum est ut Xenophon quoque altero loco humanitatis Atheniensium laudandae causa miseros Herculis liberos in Atticam eos recepisse atque Eurystheum illos persequentem vicisse praedicaverit [2]). Cuius fabulae Atticae originem et historiam Wilamowitz [3]) luculenter explanavit. Quas fabulas, quamquam nemo Atheniensium ignorabat, Xenophontem Isocratis exemplo permotum adhibuisse verisimile est, praesertim cum alteri quoque Proclis orationi sententias inseruerit, quas Isocrates in Panegyrico protulit oratione illa praeclarissima anno 380 publici iuris facta. Easdem enim fabulas eodemque ordine servato Isocrates (IV 54—55) commemoravit. Quod ut facile cognoscas et quae Isocrates et quae Xenophon scripserunt una profero:

Isocr. IV 54/55.

πολὺ δὲ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν . . ἦλθον οἵ θ' Ἡρακλέους παῖδες καὶ μικρὸν πρὸ τούτων Ἄδραστος ὁ Ταλαοῦ, βασιλεὺς ὢν Ἄργους, οὗτος μὲν ἐκ τῆς ἐπὶ Θήβας δεδυστυχηκὼς καὶ τοὺς ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ τελευτήσαντας αὐτὸς μὲν οὐ δυνάμενος ἀνελέσθαι,

Xen. Hell. VI 5, 46.

τῶν μὲν οὖν ὑμετέρων προγόνων καλὸν λέγεται, ὅτε τοὺς Ἀργείων τελευτήσαντας ἐπὶ τῇ Καδμείᾳ οὐκ εἴασαν ἀτάφους γενέσθαι.

---

1) de septem Argivis per Athenienses sepultis cf. Otto Schroeder, de laudibus Athenarum a poetis tragicis et ab oratoribus epidicticis excultis. Diss. Göttingen 1914 p. 40 sq.
Wilamow. Einleitung zu der Mütter-Bittgang (Gr. Tragödien Uebers. I. Bd. Berlin 1907 5 p. 199).

2) de Herculis liberis ab Atheniensibus contra Eurystheum defensis cf. Schroeder p. 38 sq.

3) cf. Wilamow. Herakles 1895 2 p. 98.

τὴν δὲ πόλιν ἀξιῶν βοηθεῖν ταῖς κοιναῖς τύχαις καὶ μὴ περιορᾶν τοὺς ἐν τοῖς πολέμοις ἀποθνήσκοντας ἀτάφους γιγνομένους μηδὲ παλαιὸν ἔθος καὶ πάτριον νόμον καταλυόμενον, οἱ δ' Ἡρακλέους παῖδες φεύγοντες τὴν Εὐρυσθέως ἔχθραν καὶ τὰς μὲν ἄλλας πόλεις ὑπερορῶντες ὡς οὐκ ἂν δυναμένας βοηθῆσαι ταῖς αὐτῶν συμφοραῖς, τὴν δ'ἡμετέραν ἱκανὴν νομίζοντες εἶναι μόνην ἀποδοῦναι χάριν ὑπὲρ ὧν ὁ πατὴρ αὐτῶν ἅπαντας ἀνθρώπους ηὐεργέτησεν.

καλοῦ γε μὴν κἀκείνου ὄντος, ὅτε σχόντες τὴν Εὐρυσθέως ὕβριν διεσώσατε τοὺς Ἡρακλέους παῖδας, . . .

Ultima vero Proclis verba, cum Xenophon propriam perorationem praetermiserit, haud scio an pro peroratione haberi liceat, quibus alteram argumentationis partem quasi comprehendit . . *πολλάκις καὶ φίλοι καὶ πολέμιοι γενόμενοι Λακεδαιμονίοις μὴ ὧν ἐβλάβητε μᾶλλον ἢ ὧν εὖ ἐπάθετε μνησθείητε καὶ χάριν ἀποδοίητε αὐτοῖς μὴ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς Ἑλλάδος, ὅτι ἄνδρες ἀγαθοὶ ὑπὲρ αὐτῆς ἐγένοντο* (VI 5, 48). Quae exempla ita proferuntur, ut gradatione quadam oratio procedat, quae ad augendam et cumulandam verborum vim multum valet: dicit enim 46: *τῶν μὲν οὖν ὑμετέρων προγόνων καλὸν λέγεται, ὅτε τοὺς Ἀργείων κ. τ. λ. ὑμῖν δὲ πολὺ κάλλιον ἂν γένοιτο, εἰ τοὺς ἔτι ζῶντας Λακεδαιμονίων κ. τ. λ.* 47: *καλοῦ γε μὴν κἀκείνου ὄντος, ὅτε σχόντες τὴν Εὐρυσθέως ὕβριν κ. τ. λ. πῶς οὐ καὶ ἐκείνου τόδε κάλλιον, εἰ μὴ μόνον κ. τ. λ. πάντων δὲ κάλλιστον, εἰ ψήφῳ ἀκινδύνῳ σωσάντων κ. τ. λ.* Quam gradationem

ut efficeret, sententias plerumque per antitheta formavit. Quare iam meum esse puto, schemata illa Gorgiea *ἀντίθετα* et *πάρισα* et *ὁμοιοτέλευτα* quae sunt in Proclis oratione colligere.

VI 5, 39: *τὸ γὰρ δυσμενεῖς ὄντας ὑμῖν Θηβαίους καὶ ὁμόρους οἰκοῦντας ἡγεμόνας γενέσθαι τῶν Ἑλλ. πολὺ οἶμαι χαλεπώτερον ἂν ὑμῖν φανῆναι ἢ ὁπότε πόρρω τοὺς ἀντιπάλους εἴχετε. . . . ἐν ᾧ ἔτι εἰσὶν οἳ συμμαχοῖεν ἂν ἢ εἰ ἀπολομένων αὐτῶν μόνοι ἀναγκάζοισθε διαμ.* Quo loco duo antitheta usurpavit. Eadem in paragrapho facillime homoeoteleuton efficere potuit, si verborum ordinem mutavisset hoc fere modo: *εἰ δ'οὕτως ἔχει, ἐγὼ μὲν ἂν ὑμᾶς ἡγοῦμαι στρατεύσαντας βοηθῆσαι οὐδὲν μᾶλλον Λακεδαιμονίοις ἢ καὶ ὑμῖν αὐτοῖς.*

VI 5, 40: bis verba orationem conficiunt contrariam: *ἐνθυμήθητε ὅτι οὐχ οὓς ἂν εὖ ἀλλ' οὓς ἂν κακῶς τις ποιῇ φοβεῖσθαι δεῖ. . . ἐνθυμεῖσθαι δὲ καὶ τάδε χρή, ὅτι κτᾶσθαι μέν τι ἀγαθὸν καὶ . . προσήκει, ὅταν ἐρρωμενέστατοι ὦσιν, ἵνα ἔχωσιν ἐάν ποτ'ἀδύνατοι γένωνται, ἐπικουρίαν κ. τ. λ.* Addo quod bis eodem verbo *ἐνθυμήθητε* vel *ἐνθυμεῖσθαι* usus est. Haud scio an si Gorgieas figuras consulto quaesivisset, pro verbo *ἐρρωμενέστατοι* verbum *δυνατώτατοι* usurpasset, sicuti altero in membro verbum *ἀδύνατοι* posuit.

VI 5, 42 *ἐλπίζειν δὲ χρὴ ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς μᾶλλον ἢ κακοὺς αὐτοὺς γενήσεσθαι*; antitheton. *καὶ οὗτοι δοκοῦσι διατετελεκέναι ἐπαίνου μὲν ὀρεγομένοι, αἰσχρῶν δὲ ἐργ. ἀπεχόμενοι.* Quo loco non solum duo membra sibi opponuntur, sed paria paribus redduntur atque exitus membrorum similes sunt.

VI 5, 43. *οἱ ταχθέντες ἐν Θερμοπύλαις ἅπαντες εἵλοντο μαχόμενοι ἀποθανεῖν μᾶλλον ἢ ζῶντες ἐπεισφρέσθαι τὸν βάρβαρον τῇ Ἑλλάδι*; antitheton.

VI 5, 45. *πρόσθεν μὲν ἀκούων κ. τ. λ. νῦν δὲ κ. τ. λ.* antitheton.

VI 5, 46. . . . *τότε . . . νῦν . . .* quo loco simile contrapositum legimus ac § 45. Et paragraphus 45 et

paragraphus 46 scatent accusativis, quorum exitus iidem aut similes sunt.

VI 5, 47: . . εἰ μὴ μόνον τοὺς ἀρχηγέτας, ἀλλὰ καὶ ὅλην τὴν πόλιν περισώσαιτε; antitheton. εἰ ψήφῳ ἀκινδύνῳ σωσάντων ὑμᾶς τότε τῶν Λακεδαιμονίων, νῦν ὑμεῖς . . antitheton.

VI 5, 48: εἰ πολλάκις καὶ φίλοι καὶ πολέμιοι γενόμενοι Λ. μὴ ὧν ἐβλάβητε μᾶλλον ἢ ὧν εὖ ἐπάθετε μνησθείητε καὶ χάριν ἀποδοίητε αὐτοῖς μὴ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς Ἑλλ. . . qua in sententia duo antitheta usurpavit.

Quibus locis collatis Xenophontem sententias hac in oratione haud raro sibi opposuisse, πάρισα vero et ὁμοιοτέλευτα omnino fere neglexisse apparet.

Nunc iam afferamus eos locos, quibus eas deprehendamus exornationes, quae postea a rhetoribus sententiarum figuris adnumeratae sunt, Xenophontis vero aetate hoc nomine carebant. Quinque enim locis interrogatione usus est, ut animos audientium redderet alacriores: dico § 42: ὥστε εἰ κακοὶ φανείησαν περὶ ὑμᾶς, τίς ἄν ποτε πρόθυμος κ. τ. λ. § 43 tres interrogationes coniunxit: τίσιν ἂν μᾶλλον πιστεύσαιτε . . τίνας δὲ ἂν παραστάτας ἥδιον . . ποιήσαισθε . . quarum prima et altera iisdem fere verbis incipiunt; πῶς οὖν οὐ δίκαιον κ.τ.λ. § 47: . . πῶς οὐ καὶ . . περισώσαιτε; Eandem ob causam quater audientes alloquitur ἐνθυμήθητε (40 et 43 et 44) vel ἐνθυμεῖσθαι δὲ καὶ τάδε χρή κ. τ. λ. (40); atque § 38 et 45 audientes allocutione compellat.

Adde quod duobus locis figuram, quam „polare Ausdrucksweise“ appellamus, adhibuit. Verba enim ὅτι κτᾶσθαι μέν τι ἀγαθὸν καὶ ἰδιώταις καὶ πόλεσι . . (40) idem fere significant atque πᾶσιν ἀνθρώποις προσήκει [1]). Atque § 41 verba θεοὶ οἱ πάντα ὁρῶντες καὶ νῦν καὶ

[1]) cf. E. Kemmer, Die polare Ausdrucksweise in der griech. Literatur p. 152.

εἰς ἀεί idem fere significant atque *εἰς ἀεί* vel *εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον* [1]).

Hi loci sunt in Proclis oratione, quibus schemata quae dicuntur, elucere videantur. Quibus ex exemplis satis apparet, Xenophontem illas figuras haud ita saepe neque de industria consectatum esse. Quin etiam casui potius quam arti scriptoris nonnullae quotquot exstant figurarum attribuendae videntur, quamquam illam orationem satis magna dicendi elegantia ac vivacitate artificiosissime compositam esse nemo negabit. Et quamquam Xenophon non rhetorum veterum leges de orationibus componendis secutus est, tamen quae Proclem dicentem facit, aptissima videntur ad Atheniensium animos commovendos. Pergit enim Xenophon VI 5, 49 *μετὰ ταῦτα ἐβουλεύοντο οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ τῶν μὲν ἀντιλεγόντων οὐκ ἠνείχοντο ἀκούοντες, ἐψηφίσαντο δὲ βοηθεῖν πανδημεῖ.*

Sed disputationem de hac priore Proclis oratione non plane cumulateque possum conficere, priusquam alteram illam orationem, quam Xenophon septimo libro inseruit, tractavero. *τῷ δὲ ὑστέρῳ ἔτει* (Hell. VII 1) iterum legatio Lacedaemoniorum Athenas venit deliberatum, quibus condicionibus societas esset ineunda. *λεγόντων δὲ πολλῶν μὲν ξένων, πολλῶν δὲ Ἀθηναίων, ὡς δέοι ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις τὴν συμμαχίαν εἶναι Προκλῆς Φλειάσιος εἶπε τόνδε τὸν λόγον.* (Hell. VII 1, 2—11). Haec fere continet Proclis altera oratio:

Prima paragraphus VII 1, 2 et narrationem et propositionem artissime coniunctas complectitur atque partitione ad finem perducitur:

Athenienses parati sunt ad societatem cum Lacedaemoniis faciendam. Si ea ratione, quae parti utrique plurimum expediet, foedus inibunt, consentaneum est, eos maxime in foedere perstituros. *περὶ δὲ τῆς ἡγημονίας νῦν ἡ σκέψις.* Athenienses *κατὰ θάλατταν*, Lacedaemonios vero *κατὰ γῆν* principatum obtinere a senatu propositum est. Quam imperii partitionem non tam

1) cf. E. Kemmer, p. 181.

ab humana quam divina natura factam esse argumentatione (VII 1, 3—11 ἐπιμελεῖσθαι) procles comprobare studet.

Primum vero

I. de Atheniensibus disputat (3—7);

a) eos aptissimos esse contendit maximeque idoneos, qui maris imperium obtineant

1) Athenas opportunissimo loco sitas, atque civitates Atheniensium urbi vicinas omnes imbecilliores esse.

2) Praeterea Athenienses optimos habere portus.

3) Atheniensium permagnam esse classem. *καὶ πάτριον ὑμῖν ἐστι ναυτικὸν ἐπικτᾶσθαι*, usu vero atque maritimarum rerum experientia Athenienses longe praeter ceteros excellere.

4) ex Athenarum portu plurimas naves longas simul solvi posse (—4).

b) Athenienses deis faventibus pugnis navalibus factis plerumque victores discessisse. Quam ob rem socios libentissime una cum Atheniensibus pericula navalis belli subire velle consentaneum est (5).

c) Necessarium quin etiam est Athenienses imperium maris obtinere. Lacedaemonii enim Athenienses numquam bello vicerunt, nisi quo tempore etiam mari rerum potiebantur. Unde iam perspicue apparet totam Atheniensium salutem pendere e mari (6).

Paragraphus 7 huius prioris partis conclusionem quasi complecitur:
facere non possunt, ait, Athenienses ut Lacedaemoniis permittant, ut mari rerum potiantur. Illi enim ipsi se rei nauticae multo imperitiores Atheniensibus esse fatentur. Praeterea Atheniensibus pugna navali decertantibus non solum de militum sed etiam de liberorum mulierumque salute agitur.

II. Tum de Lacedaemoniis exponit:

a) Lacedaemonii aptissimi sunt qui terra rerum potiantur.

1) Lacedaemonii cum mediterraneum incolant regionem, non e mari pendent.

2) Lacedaemonii iam a pueris ad pugnas terrestres se exercent.

3) Lacedaemoniorum milites in terra versantes facillime officio continentur.

4) Sparta amplissimi exercitus terrestres celerrime proficisci possunt.

b) Lacedaemonii deis faventibus terrestribus in pugnis plerumque victores discesserunt.

c) Lacedaemonios terra rerum potiri necessarium est, quod ex ipsorum rebus gestis animadvertere licet. Saepe enim etsi navalibus proeliis victi tamen semel terra inferiores fuerunt. Neque alteri parti conclusio deest: Facere igitur Lacedaemonii non possunt ut aliis permittant ut terra rerum potiantur. (11 — *ἐπιμελεῖσθαι).*

Quam argumentationem ita compositam esse luce est clarius, ut quae de Lacedaemoniis proferat, iis quae de Atheniensibus exposuerit, prorsus fere responderent. Peroratione, quae incipit a verbis *ἐγὼ μὲν οὖν, κ. τ. λ.* oratio ad finem perducitur: nempe Procles *ὥσπερ τῇ βουλῇ προβεβούλευται* Atheniensibus suadet, ut suffragia ferant. *ὑμεῖς δὲ εὐτυχοῖτε τὰ κράτιστα πᾶσιν ἡμῖν βουλευσάμενοι.* Quibus expositis hanc alteram Proclis orationem magis prima illa legibus rhetorum veterum observatis compositam esse fortasse contendere licet. Iam vero perscrutemur, quibus figuris in altera hac Proclis oratione Xenophon usus sit. Ac primum quidem schemata, quae Gorgiea vocantur, afferamus.

VII 1, 2: *τὰ μὲν οὖν ἄλλα . . περὶ δὲ τῆς . . .* antitheton. *προβεβούλευται ὑμετέραν μὲν εἶναι τὴν κατὰ θάλατταν, Λακεδαιμονίων δέ . .* antitheton.

VII 1, 5: *ἐλάχιστα μὲν ἀποτετυχήκατε, πλεῖστα δὲ κατωρθώκατε,* antitheton, parison, homoeoteleuton.

VII 1, 6: verba *κρατοῦντες* et *ἐπικρατῆσαι* eiusdem stirpis usurpavit.

VII 1, 7 *ἀλλ' ἐκείνοις μὲν περὶ τῶν ἐν ταῖς τριήρεσι μόνον ἀνθρώπων, ὑμῖν δὲ καὶ περὶ παίδων καὶ γυναικῶν καὶ ὅλ. τ. πόλ.* quo loco contraposita usurpavit.

VII 1, 8 *οὗτοι μὲν κράτιστοι κατὰ γῆν, ἡμεῖς δὲ κατὰ θάλατταν* antitheton.

VII 1, 9: *ὥσπερ ὑμεῖς ναυτικῷ, οὕτως αὖ ἐκεῖνοι κατὰ γῆν πλ. καὶ τάχ. ἂν ἐξέλθ.* antitheton. *ὥσπερ ὑμῖν κατὰ θάλατταν εὐτυχεῖν, οὕτως ἐκείνοις κατὰ γῆν κ. τ. λ.* antitheton.

VII 1, 10: *ὡς δὲ καὶ ἀναγκαία οὐδὲν ἧττον τούτοις ἡ κατὰ γῆν ἐπιμέλεια ἢ ὑμῖν ἡ κατὰ θάλατταν κ. τ. λ.* antitheton. *πολλὰ ἔτη πολεμοῦντες καὶ πολλάκις καταναυμαχοῦντες* hoc loco verborum exitus similes reddidit.

VII 1, 11: *ἄλλοις μὲν ἐπιτρέπειν κατὰ γῆν ἡγεῖσθαι, αὐτοὺς δὲ ἄριστα τῶν κ. γῆν ἐπιμελ. . .* Quo loco non solum sententiae sunt contrariae, sed paria paribus redduntur atque membrorum exitus iidem sunt. Duobus locis, ut animos audientium redderet alacriores, interrogatione usus est:

VII 1, 7: *πῶς ἂν ἔχοι καλῶς . . ὅλης τῆς πόλεως;*

VII 1, 11: *πῶς οὖν . . ἐπιμελεῖσθαι;* Adde quod VII 1, 10 verbis *καὶ περὶ παίδων καὶ περὶ γυναικῶν καὶ περὶ ὅλης τῆς πόλεως* anaphora usus est. Si quae contulimus, cum priore Proclis oratione comparamus, Xenophontem uti par est, in utraque oratione permulta antitheta usurpavisse videmus, scilicet in argumentando res Atheniensium et Lacedaemoniorum plerumque sibi opponuntur. Quamquam vero alteri orationi plura parisa et homoeoteleuta inseruit, tamen priorem orationem maiore quadam vivacitate atque elegantia dicendi compositam esse censeo.

Duae hae orationes, quas Xenophon Procli tribuit, longissimae sunt in tertia Hellenicorum parte. Quibus orationibus auctor potissimum exponere vult, quid de

omnium Graecorum rebus disponendis atque in ordinem digerendis ipse cogitet. Quam ob causam priore oratione Phliasium illum dicentem fecit, quam pulchre essent acturi Athenienses Lacedaemoniis auxilium ferentes contra Thebanos. Itaque in memoriam revocat et auxilium prius Atheniensibus a Lacedaemoniis latum et priscam Athenarum gloriam, quae semper refugium fuerint omnium supplicum, qui iniuria affecti opem imploravissent. Denique foedus Lacedaemoniis et Atheniensibus ineundum eam ob causam commendat, quod coniuncti forsitan denuo Persis bellum inferre possint. Quacum oratione verba illa comparanda puto, quibus apud Thucydidem VI 76—80 Hermocrates Syracusanus Camarinae incolas, ut foedus omnium Dorum componant, adhortatur. Et Xenophontis et Thucydidis orationes idem fere spectant, ut consensum unitatem societatem efficiant.

Alteram vero orationem Xenophon Procli attribuit, qui suaderet, ut Athenienses mari, Lacedaemonii terra gererent imperium. Nemo Proclem re vera orationem habuisse negabit. Sed hoc loco sententiae cum Proclis tum Xenophontis sunt. Iam supra commemoravi opiniones, quas Xenophon Proclem proferentem facit, cum sententiis, ab Isocrate in orationibus prolatis tantopere congruere, ut dubitari vix possit, quin Xenophon hac in re Isocratem secutus sit.

Et Isocratis Panegyricus et Proclis orationes idem spectant. In Panegyrico enim, qui in lucem prodiit a. 380, Isocrates suadet, ut Graecorum civitates bellis compositis atque sedatis inter se coniungant; qua propositione potentissimas imprimis Graeciae civitates, Athenienses et Lacedaemonios, adit; nam Graecis inter se discordantibus atque dissidentibus, fieri non posse exponit — haec est altera propositio —, ut omnes civitates Graecae copiis coniunctis communi omnium Graecorum hosti i. e. regi Persarum bellum inferant. Quam ad concordiam commendandam Isocrates praecipue

verbis ὁμόνοια et ὁμονοεῖν utitur [1]). cf. Paneg. 3 . . . ἥκω συμβουλεύσων περί τε τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. 85 περὶ μὲν τῆς κοινῆς σωτηρίας ὁμονοοῦντες. 138 ἡμῶν ὁμονοησάντων. 173 ὁμονοῆσαι τοὺς Ἕλληνας. Similiter vero Xenophon (Hell. VI 5, 35) verbo illo ὁμονοεῖν concordiam Atheniensium et Lacedaemoniorum significat, dicens ἐὰν δὲ ὑμεῖς καὶ ἡμεῖς ὁμονοήσωμεν, νῦν ἐλπὶς τὸ πάλαι λεγόμενον δεκατευθῆναι Θηβαίους. Et Isocrates et Xenophon laudibus celebrant et praedicant illud bellum, quod Athenienses Lacedaemoniique coniuncti Persarum regi omnium Graecorum hosti possint inferre. Isocrates (IV 84) θεῶν τινὰ τὸν πόλεμον (scil. Persarum) συναγαγεῖν affirmat. Apud Xenophontem [2]) autem θείᾳ φύσει τε καὶ τύχῃ principatum Graecorum Atheniensibus Lacedaemoniisque distributum esse legimus.

Isocrates Athenienses Lacedaemoniosque ἀνταγωνιστάς vocat: IV 73 τοιούτων ἀνταγωνιστῶν; IV 85 οὐκ ἐχθροὺς ἀλλ' ἀνταγωνιστὰς σφᾶς αὐτοὺς εἶναι νομίζοντες. Qua re permotus Xenophon Lacedaemonios optimos παραστάτας Atheniensium Persarum in bello fore putat VI 5, 43.

Quibus de similitudinibus inter Isocratis Panegyricum et hos Xenophontis locos fusius disputavit Münscher p. 9 sq. [3]). Quod vero Xen. Hell. VII 1 τὸ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσιν Lacedaemoniorum proprium esse praedicat, verborum reminiscimur, quibus Mem. IV 4, 15 Socratem Lacedaemonios similem ob causam laudantem fecit: Λυκοῦργον δὲ τὸν Λακεδαιμόνιον καταμεμάθηκας ὅτι οὐδὲν ἂν διάφορον τῶν ἄλλων πόλεων τὴν Σπάρτην ἐποίησεν, εἰ μὴ τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις μάλιστα ἐνειργάσατο αὐτῇ.

Consulto vero Xenophon quae de principatu

---

1) cf. Kramer, quid valeat ὁμόνοια in litteris graecis. Diss. Göttingen 1915 p. 41.

2) Hell. VII 1, 2.

3) cf. Rosenstiel p. 28.

Graecorum bipartito erat prolaturus, neque Atheniensi neque Lacedaemonio tribuit, sed Phliasium Proclem his de rebus dicentem fecit. Quem eo digniorem putavit, qui suas Xenophontis ipsius sententias proferret, cum Agesilai hospitio uteretur atque Xenophontem ipsum Proclem Agesilao auctore cognovisse verisimile sit [1]. Simul vero Proclis priore oratione Phliasiorum erga Lacedaemonios fidem laudibus extulit. Quae Corinthius Cliteles oratione assecutus est Corinthiis, Phliasio Procli efficienda sunt Lacedaemoniis. Atque Procli laudi vertimus legentes, quomodo eam ob causam pro Lacedaemoniis interveniat apud Athenienses. cf. VI 5, 42 *ἐλπίζειν δὲ χρὴ ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς μᾶλλον κ. τ. λ.* 5, 43: *τίνας δὲ ἂν παραστάτας κ. τ. λ. ἐγένοντο ἄνδρες ἀγαθοὶ μεθ' ὑμῶν κ. τ. λ.* 5, 48: *χάριν ἀποδοίητε αὐτοῖς μὴ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν μόνον κ. τ. λ.*

Aliis vero locis Procles fidem Phliasiorum erga Lacedaemonios ipse praedicat, dico VI 5, 44 *πιστοὶ διαμένουσιν ἐν ταῖς συμφοραῖς. . . (πόλεις) αἱ τοῦ κινδύνου μετέχειν αὐτοῖς ἐθέλουσαι.* 5, 45 *ὁρῶ . . μετ' αὐτῶν τοὺς πιστοτάτους φίλους αὐτῶν κ. τ. λ.* 5, 48 *ὁπότε δὲ καὶ ἡμεῖς ἀγαλλόμεθα συναγορεύοντες βοηθῆσαι ἀνδράσιν ἀγαθοῖς κ. τ. λ.* [2]).

Praeterea Xenophon erga deos piissimus Proclis ore loquitur [3]), qui omnia, quae fiunt, ad deorum voluntatem referenda esse putet. *ὑμῖν δὲ νῦν ἐκ θεῶν τινος καιρὸς παραγεγένηται* (5, 41), dei ipsi tempus occasionemque dederunt, ut Lacedaemonii et Athenienses denuo foedus inirent. Dii ipsi aperuerunt atque indicaverunt voluntatem, ut Athenienses et Lacedaemonii Graecorum principatum inter se partirentur, cum his tot in proeliis pedestribus, illis tot in navalibus dederint victorias.

Sane difficile est dictu, quatenus Xenophon has

---

1) cf. Sauppe, Göttinger Nachrichten 1882 p. 207 sq. Nitsche p. 49.

2) cf. Banderet p. 87.

3) Fellner p. 67.

Proclis orationes ad historiae fidem memoriae prodiderit [1]). Xenophontem vero summas harum orationum sententias ipsum excogitavisse verisimile sane videtur. Proclis vero alteram non ultimam omnium quae tunc temporis habebantur orationum fuisse Xenophon ipse indicare videtur cum dicit VII 1, 1 *λεγόντων δὲ πολλῶν μὲν ξένων, πολλῶν δὲ Ἀθηναίων . . Προκλῆς Φλειάσιος εἶπε τόνδε τὸν λόγον.*

Et priore et altera oratione Proclem clamorem audientium excitasse narrat. Attamen Procles id quod voluit assecutus non est. In Cephisodoti enim sententiam Athenienses ierunt atque decreverunt, ut alternos per quinos dies utrique et Athenienses et Lacedaemonii summam tenerent rerum. Qui legatus Spartam missus erat anno 371 (cf. Hell. VI 3, 2) [2]). Orationis vero qua anno 357 Athenienses expeditionem in Euboeam facere iussit, fragmentum apud Aristotelem habemus Rhet: III 10 p. 1411 a, quo loco Aristoteles ut metaphoram, quae secundum analogiam composita est, commendet, Cephisodoti verba exempli gratia affert: *καὶ Κηφισόδοτος σπουδάζοντος Χάρητος εὐθύνας δοῦναι περὶ τὸν Ὀλυνθιακὸν πόλεμον ἠγανάκτει, φάσκων εἰς πνῖγμα τὸν δῆμον ἔχοντα τὰς εὐθύνας πειρᾶσθαι δοῦναι. καὶ παρακαλῶν ποτὲ τοὺς Ἀθηναίους εἰς Εὔβοιαν ἐπισιτισαμένους ἔφη δεῖν ἐξιέναι τὸ Μιλτιάδου ψήφισμα* [3]).

Atque eodem Aristolelis loco acerbissime eum invectum esse in Charetem propter res prope Olynthum gestas comperimus [4]). Cephisodotus igitur Atheniensium in contionibus his temporibus fere regnavisse videtur, usque dum Demosthenes in eius auctoritatem successit. Cuius *δεινότης* dicendi a Demosthene ipso laudatur (XX 150): *οὗτός ἐστιν οὐδενὸς ἧττον τῶν λεγόντων δεινὸς εἰπεῖν* [5]).

1) cf. Banderet p. 89. 2) cf. Schäfer, Demosth. I 2 71.
3) cf. Schäfer, Demosth. I 2 163, 1.
4) cf. Schäfer, Demosth. III 2 156.
5) cf. Schäfer, Demosth. I 2 396. Praeterae de Cephisodoto videsis Mittelhaus, P. W. XI (231) 6. Kirchner, Prosopographia I (553) 8331. ad rem cf. Beloch III 1 p. 179. E. Meyer V 427. Banderet p. 90.

Apud Xenophontem autem Cephisodoti verba non ita comparata sunt, ut eum orationem habuisse dicas. Immo admodum pauca Xen. eum dicentem induxit: VII 1, 12—14: principatu partito Lacedaemonios ad bellum gerendum *ἢ Εἵλωτας ἢ μισθοφόρους* missuros esse contendit, Athenienses vero *τοὺς ὁπλίτας καὶ τοὺς ἱππέας.* Quae cum ita sint Lacedaemonios Atheniensium ipsorum fore duces, Athenienses *τῶν ἐκείνων δούλων καὶ ἐλαχίστου ἀξίων.* Quare ut *ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις* foedus faciant, Cephisodoto auctore decernunt Athenienses: *κατὰ πενθήμερον ἑκατέρους ('Αθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους) ἡγεῖσθαι. . .* Hell. VII 1, 14.

Sed ut quae profert, augeat atque amplificet Cephisodotus, Timocratem Lacedaemonium, qui ceteris cum Lacedaemoniorum legatis Atheniensium interest contioni, apostropha quae dicitur usus interrogat: (13) *ἀπόκριναι δέ μοι, ὦ Λακεδαιμόνιε Τιμόκρατες, οὐκ ἄρτι ἔλεγες ὡς ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις ἥκοις τὴν συμμαχίαν ποιούμενος;* brevissime ut Laconum erat mos, respondet ille atque affirmat hoc ita esse, cum dicat *εἶπον ταῦτα.* Xenophon profecto Cephisodotum hunc fere in modum dixisse compertum habebat; quare etiam inter omnes notam fuisse illam interrogationem atque ea quae secuta sunt contendere licet [1]). Quibus rebus Xenophon usus est ut maxima cum diligentia totam rem sic exponeret, ut quasi coram audientibus agatur, non narretur. Atque pro iniquitate temporum Xenophon Cephisodotum tam commotissimum animo loquentem fecit ut recordemur Demosthenis quae dudum attulimus verborum, quibus *δεινότητα* oratoris Cephisodoti laudat. Atque haud scio an Xenophon consulto atque arte omne antitheton et homoeoteleuton in Cephisodoti verbis aspernatus sit; unum tantum profert antitheton VII 1, 14 anaphora ornatum: *ἐν μέρει μὲν ἑκατέρους ἡγεῖσθαι τοῦ ναυτικοῦ, ἐν μέρει δὲ τοῦ πεζοῦ κ. τ. λ.*

---

1) Banderet p. 90.

Lacedaemoniorum vero legatos omnino inopes fuisse qui Atheniensium animos moverent satis elucet ex ultimis, quibus Xenophon de hac contione narrationem claudit verbis: *ἀκούσαντες ταῦτα οἱ Ἀθηναῖοι μετεπείσθησαν, καὶ ἐψηφίσαντο κατὰ πενθήμερον ἑκατέρους ἡγεῖσθαι.*

Iam progrediamur atque accedamus ad paragraphos 23 et 24, quo loco Lycomedem [1]) quendam Mantineensem coram Arcadibus dicentem Xenophon induxit. Iam supra commemoravi Mantineenses invitis Lacedaemoniis unam rursus coiisse in urbem atque poenas a Mantineensibus repetitum Lacedaemonios frustra misisse Agesilaum. Quo factum est ut Arcades cum Thebanis coniuncti Lacedaemoniorum fines vastarent et diriperent. Denique vero Lycomedes Mantineensis *γένει τε οὐδενὸς ἐνδεὴς χρήμασί τε προήκων καὶ ἄλλως φιλότιμος* (VII 1, 23) magnos Arcadibus iniecit spiritus eosque deterruit, ne amplius sub Thebanorum imperio agerent, sed commune imperium postularent. Xenophon vero Lycomedis nomen hoc loco primum commemorat. Atque verbis, quae eum dicentem fecit, comprehendit, quaecumque iam pridem Mantineenses Lycomede auctore clam praetexuerant ne diutius Thebanorum partes sectarentur. Quod Xenophon ipse significasse videtur, cum adderet VII 1, 24: *οἱ μὲν δὴ Ἀρκάδες ταῦτα ἀκούοντες ἀνεφυσῶντό τε καὶ ὑπερεφίλουν τὸν Λυκομήδην καὶ μόνον ἄνδρα ἡγοῦντο· ὥστε ἄρχοντας ἔταττον οὕστινας ἐκεῖνος κελεύοι.* Eorum vero quae Lycomedem dicentem fecit, unam sententiam, qua eius verba concluduntur, quae summam fere rerum continet, ad verbum proposuit (*ἐὰν οὖν σωφρονῆτε κ. τ. λ.*). Atque quin Xenophon benevolo in Lycomedem fuerit animo, quod Arcadibus persuasit ut a Thebanis deficerent, dubium esse non potest.

---

1) cf. Banderet p. 92. E. Meyer, G. d. A. V 421 sq. Beloch, Gr. Geschichte III 1, 175 sq. 184 sq.

Iam pauca mihi dicenda esse puto de paucis illis verbis, quibus Archidamus[1]) Agesilai filius VII 1, 30 militum animos ante pugnam ad Meleam[2]) commissam incitavit. Archidamus natura Agesilao vehementior fuisse videtur. Iniquissimo sane animo cladem apud Leuctra acceptam fert. Quare ut erat gloriae studiosissimus, pudore et verecundia militum animos accendere studet. Quod ut intellegeretur, Xenophon eum dicentem induxit. Verba eius quasi *παρακλητικὸν* esse *λόγον* dicas: bis enim egregia atque mirabilia patrum facinora in mentem revocat: *ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν πατρίδα οἵανπερ παρὰ τῶν πατέρων παρελάβομεν.* atque . . *πρόσθεν γε πάντων τῶν Ἑλλήνων περιβλεπτότατοι ἦμεν*[3]).

Primum milites ut erectis oculis suspiciant adhortatur: *ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν.* Desinamus tandem pergit, liberis, uxoribus, senioribus, hospitibus esse pudori: *παυσώμεθα αἰσχυνόμενοι καὶ παῖδας καὶ γυν. κ. τ. λ.*, . . quo loco polysyndeton usurpavit. Verba *ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν* id quod iam Banderet animadvertit, a cotidiano sermonis usu discrepant. Nam *ὄμμα* pro oculus positum frequentissimum est apud poetas, qui plurali numero plerumque utuntur[4]). Haud scio an Archidamus re vera haec verba poëtica quadam licentia usurpaverit. Memorabile vero quanta cum vi Archidamus singula proferat enuntiata nullis particulis

1) de Archidamo Agesilai filio cf. Niese, P. W. II (467) 4.

2) de pugna ad Meleam commissa cf. Banderet p. 93. Beloch, Gr. Gesch. III 1, 185 sq. III 2, 240 (anno 368/7). E. Meyer, G. d. A. V 433 sq.

3) cf. Thuc. V 9. VI 68, 2. Xen. Anab. III 2, 11, quibus locis similes locos communes legimus.

4) de verbo *ὄμμα* pro *ὀφθαλμός* videsis Gautier p. 107 quo loco legimus: le double exemple de *ὄμματα* est aussi intéressant; ailleurs dans les Mémorables *ὄμματα* est amené par la variation: dans ce passage, qui ne contient aucun exemple de *ὀφθαλμοί*, il semble bien que *ὄμματα* ait été préféré en vertu de sa valeur stylistique. P. 198 Gautier locos contulit, quibus substantivum *ὄμμα* apud Xenophontem, Thucydidem aliosque legimus.

coniuncta: *ἄνδρες πολῖται, νῦν ἀποβλέψωμεν . . ἀποδῶμεν . . πανσώμεθα.* Ceterum verba, quae Xenophon Archidamo tribuit Isocratis Archidamum, qui dicitur, in memoriam revocant. Qua in oratione Archidamus de pace cum Thebanis respuenda verba facit, quam Lacedaemoniorum socii Epidaurii, Corinthii, Phliasii solos se inituros esse minitati erant. Ut Lacedaemonii de Messene fortiter pugnantes sustentent cives admonet. Quam orationem Isocrateam, cum iam anno 366 divulgata sit, Xenophontem legisse verisimile est [1]). Exempli causa Xenophontis illud *πάντων τῶν Ἑλλήνων περιβλεπτότατοι* confero cum simillima quam apud Isocratem habemus sententia (VI 95): *ὑπὸ πάντων δι' ἀρετὴν εἶναι περίβλεπτος.*

Iam pauca mihi dicenda sunt de paragraphis VII 1, 34 sq. Thebani imperium Graecorum dudum affectantes Pelopidam mittunt ad regem Persarum; qui consilio et eloquentia a rege impetravit, ut pacis condiciones scriberet, ut Messene a Lacedaemoniis libera esset, Athenienses naves subducerent, ceterae civitates haec armis defenderent (36). In quam formulam cum Corinthii iurare nollent, complures aliae civitates horum exemplum secutae conatum Thebanorum irritum fecerunt (40). Quibus in disceptationibus Xenophon semel verba ipsius, qui locutus sit, memoriae prodidit. Leontem enim Atheniensem, audiente rege, dicentem finxit *νὴ Δία, ὦ Ἀθηναῖοι, ὥρα γε ὑμῖν, ὡς ἔοικεν, ἄλλον τινὰ φίλον ἀντὶ βασιλέως ζητεῖν* (37).

Παρακλητικόν vel *παρακλητικόν* ut ita dicam inversum dixeris ea verba quibus Phliasii milites VII 2, 20 Charetem Atheniensium ducem ad pugnam incitant. Prima quam proferunt sententia prooemium quasi est *ὦ Χάρης, ἔξεστί σοι τήμερον κάλλιστον ἔργον διαπράξασθαι*; sequitur brevis narratio: *χωρίον γὰρ ἐπὶ τοῖς ὅροις ἡμῖν οἱ Σικυώνιοι τειχίζουσιν, οἰκοδόμους μὲν πολλοὺς ἔχοντες, ὁπλίτας δὲ οὐ πάνυ πολλούς. ἡγησόμεθα μὲν οὖν ἡμεῖς*

---

1) cf. Münscher, P. W. IX 2200, or. VI Ἀρχίδαμος.

οἱ ἱππεῖς καὶ τῶν ὁπλιτῶν οἱ ἐρρωμενέστατοι. σὺ δὲ τὸ ξενικὸν ἔχων ἐὰν ἀκολουθῇς, ἴσως μὲν διαπεπραγμένα σοι καταλήψῃ, ἴσως δὲ ἐπιφανεὶς σὺ ῥοπήν, ὥσπερ ἐν Πελλήνῃ, ποιήσεις. Quo loco anaphoram habemus. Duobus deinceps locis communibus utuntur: 1) dei ipsi Charetem pugnare iubent; hostia enim litabitur pulcherrime. Quae verba differunt a simili loco communi, quem apud ceteros rerum scriptores invenimus; apud Thucydidem [1]) enim, quem exempli causa profero, iam egregie litatum esse atque eam ob causam milites deis adiutoribus fortissime pugnaturos esse scriptum videmus. 2) praemiorum mentionem faciunt, quibus et dux et milites, victoria parata, affecti erunt: *τοῦτο δὲ χρὴ εὖ εἰδέναι, ὅτι ἐὰν ταῦτα πράξῃς, τοῖς μὲν πολεμίοις ἐπιτετειχικὼς ἔσει, φιλίαν δὲ πόλιν διασεσωκώς, εὐκλεέστατος δὲ ἐν τῇ πατρίδι ἔσει, ὀνομαστότατος δὲ καὶ ἐν τοῖς συμμάχοις καὶ πολεμίοις.* Quo loco duo membra sibi opponuntur, quorum alterum tria parisa continet.

Quibus verbis permotus Chares sacrificiis factis proeliis secundis usus est VII 2, 21 sq. Charetem Atheniensem fortissimum reapse fuisse virum apud veteres rerum scriptores memoriae est proditum [2]). Plutarchus enim eum celebrat *τῷ στρατηγεῖν καὶ πολεμεῖν αὔξοντα ἑαυτόν* [3]), atque *ὠτειλάς τινας ἐν τῷ σώματι καὶ τὴν ἀσπίδα λόγχῃ διακεκομμένην* commemorat [4]). Quae cum ita sint versimile non puto Charetem non nisi a militibus admonitum atque coactum proelium commisisse. Immo Xenophontis sunt verba, quae Phliasios hoc loco dicentes finxit. Phliasii enim quamquam ab Argivis et Sicyoniis commeatu privati Lacedaemoniorum in fide permanebant. Phliasiorum vero erga

---

1) cf. Thuc. IV 92, 7.

2) de Charete cf. Niese, P. W. III (2135) 3.
Schaefer, Demost. I [2] 104 sq.
E. Meyer: V 446 qui Charetem „einen unverzagten Kriegsknecht, aber im übrigen schon mehr Räuberhauptmann als Feldherr“ vocat.
Beloch, Gr. Gesch. III 1, 191. Banderet: p. 97. sq.

3) Plut. Phoc. 7. 4) Plut. Pelop. 2.

Lacedaemonios fidei atque fortitudinis Xenophon cum aliis Hellenicorum locis tum in altero septimi libri capite plura protulit documenta: *ὡς καὶ πιστοὶ τοῖς φίλοις ἐγένοντο καὶ ἄλκιμοι ἐν τῷ πολέμῳ διετέλεσαν, καὶ ὡς πάντων σπανίζοντες διέμενον ἐν τῇ συμμαχίᾳ* (VII 3, 1). Atque maximi momenti sunt, quae VII 2, 1 dicit: *ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται, ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν.* Quare ne cui dubium esset quin Phliasii fortissimi essent milites, fortiores quin etiam si fieri posset quam clarissimus ille militum dux Chares verbis illis Phliasiorum insertis narrationem ornavit.

Iam ad ultimas, quas Xenophon Hellenicis inseruit orationes, nos convertamus. Quae orationes sunt Euphronis [1]) Sicyonii, qui in patria urbe nomine quidem populare imperium instituerat [2]), re vera tyrannidem occupaverat (Hell. VII 1, 44 sq.). Primum Lacedaemoniorum partes secutus, tum Thebanorum partibus studuit. Nonnulla vero argumenta quibus ille apud Arcades Argivosque gratiam sibi parare studuit, Xenophon eius ipsius verbis memoriae prodidit VII 1, 44. Praeterea his ex verbis plane intellegimus, quam causam, ut tyrannidem adipisceretur, interposuerit. *λέγει πρὸς τοὺς Ἀργείους καὶ πρὸς τοὺς Ἀρκάδας ὡς εἰ μὲν οἱ πλουσιώτατοι ἐγκρατεῖς ἔσοιντο τοῦ Σικυῶνος, σαφῶς, ὅταν τύχῃ, πάλιν λακωνιεῖ ἡ πόλις. ἐὰν δὲ δημοκρατία γένηται, εὖ ἴστε, ἔφη, ὅτι διαμενεῖ ὑμῖν ἡ πόλις κ. τ. λ.* Sicyoniis vero domestico malo laborantibus Aeneas Arcadum dux cum exercitu succurrit eorumque in arcem principes convocat et exsules non publice eiectos (VII 3, 1 sq.). Euphron vero statim confugit in portum eumque tradit Lacedaemoniis. *καὶ ἐν ταύτῃ αὖ τῇ*

---

1) de Euphrone cf. Swoboda, P. W. VI (1217) 1.
Beloch III 1, 192.
E. Meyer V 486 sq. 463.
Banderet p. 99 sq.

2) Tyrannidem occupavit anno 367.
cf. Beloch, Gr. Gesch. III, 2 p. 243.

συμμαχίᾳ ἀνεστρέφετο, λέγων ὡς Λ. διατελοίη πιστὸς ὤν (VII 3, 2). Quo loco auctor, postquam initium fecit oratione obliqua, *ὅτε γὰρ . . ἀποψηφίσασθαι ἔφη*, transit ad orationem rectam *καὶ νῦν, ἔφη, φεύγουσιν κ. τ. λ.* Iterum Xenophon eorum, quibus Euphron Lacedaemoniorum gratiam sibi parare conatus est, pauca ad verbum Hellenicorum VII 3, 2—3 inseruit. Sed Xenophon ipse pergit: *ἠκροῶντο μὲν δὴ πολλοὶ αὐτοῦ ταῦτα· ὁπόσοι δὲ ἐπείθοντο οὐ πάνυ κατάδηλον* (3, 3). Postea vero cum Thebani Sicyoniorum arcem occupassent, in Boeotiam profectus cum Thebanis de tota Sicyone urbe sibi tradenda acturus erat. Sed in ipsa Cadmea a civibus quibusdam Sicyoniis occisus est. (VII 3, 4 sq.). Quo facto Thebanorum archontes senatu Thebanorum convocato eos, qui Euphronem interfecerunt, accusant *περὶ θανάτου*. Quorum orationem Xenophon ipsis accusantium verbis profert SII 3, 6. Atque haec fere promunt argumentandi causa

1) quod Euphronem coram ipso magistratu occiderunt.

2) Quodsi eam ob causam hi supplicio non afficientur quid fiet de civitate? *(εἰ οὖν οὗτοι κ. τ. λ.)*.

3) A verbis *ἡμεῖς μὲν δὴ τούτους διώκομεν κ. τ. λ.* incipit peroratio; accusatione repetita audientes ut poenam hominibus sceleratissimis atque improbissimis expetant, adhortantur. *τῶν δὲ ἀποκτεινάντων οἱ μὲν ἄλλοι ἠρνοῦντο μὴ αὐτόχειρες γεγενῆσθαι. εἷς δὲ ὡμολογήκει, καὶ τῆς ἀπολογίας ὧδέ πως ἤρχετο.* Quo loco Xenophon satis magnam inseruit defensionem (VII 3, 7—11) cuius haec fere est dispositio:

I. Prooemio Thebanos se despicere negat, cuius vita in Thebanorum manu posita sit (7 — *αὐτῷ χρῆσθαι*). Propositionem fortasse dicas verba quibus interrogat: *τίνι μὴν πιστεύων ἐνθάδε ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα*; Omissa est narratio, cum caedem factam esse nemo ignoret. Quamobrem statim pergit argumentando.

II. Duabus causis permotos Euphronem sese intercidere ausos esse. Putaverunt enim

a) non solum rectissime se facere, sed etiam

b) Thebanos iustissime iudicaturos esse.

Iam vero ordine mutato quam ob causam haec ponere sibi licuerit, comprobare studet: b) Archias et Hypates, qui similem culpam atque Euphron contraxerant, statim re suffragiis non permissa morte multati sunt a Thebanis quippe qui censerent [1]) illos palam fuisse impios (*περιφανῶς ἀνοσίων*), palam proditores (*φανερῶς προδοτῶν*) ac tyrannidis usurpatores (*τυραννεῖν ἐπιχειρ.*).

a) Rectissime se facere arbitrati sunt quod Euphron templa depeculatus sit, prodiderit cum Lacedaemonios tum Thebanos, *ἀπροφασίστως τύραννος* fuerit. Quae res prorsus concinunt cum tribus illis argumentationibus, quas supra de Archia et Hypate protulit.

III. Refutatione vero quae Euphronis excusandi causa proferri possint, colligit atque repudiat:

1) praesidio Thebanorum Sicyone in oppido posito restitit atque Thebanos ipsos pecunia corrumpere conatus est (**9**);

2) non eorum qui eum interfecerunt inimicum, sed rei puplicae Thebanorum hostem se praebuit (10 — *πολεμιώτερος ἦν ἢ ὑμῖν*);

3) etsi sua sponte Thebas venit, scelerum cumulatissimus ille iure caesus dicitur (*ἀλλὰ νὴ Δία . .*);

4) Euphron Thebis eodem iure atque extra urbem necatus est (*κᾆτα εἰ μέν . .*);

5) Praeterea decretum factum est, quo exsules comprehensos ex omnibus sociorum urbibus abduci ius esse conceditur (11).

Perorando (11 *ἐγώ φημι κ. τ. λ.*). Thebanos Euphronem iure occisum esse iudicantes pro semet

---

[1]) ad rem cf. Hell. V 4, 2 sq. Plut. Pelop. 11.

ipsis et pro sociis inimicissimum virum ulturos esse affirmat. *οἱ μὲν οὖν Θηβαῖοι ταῦτα ἀκούσαντες ἔγνωσαν δίκαια τὸν Εὔφρονα πεπονθέναι· οἱ μέντοι πολῖται αὐτοῦ ὡς ἄνδρα ἀγαθὸν κομισάμενοι ἔθαψάν τε ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ὡς ἀρχηγέτην τῆς πόλεως σέβονται* (Hell. VII 3, 12). Quibus verbis narratio de Euphrone ad finem perducitur.

Iam vero perscrutemur, quibus figuris in his duabus orationibus, quae generis sunt iudicialis, Xenophon usus sit. Ac primum quidem afferamus schemata, quae in archontis oratione inveniuntur.

VII 3, 6 legimus *τούτους διώκομεν ὡς ἀνωσιωτάτους καὶ ἀδικωτάτους καὶ ἀνομωτάτους καὶ πλεῖστον δὴ ὑπεριδόντας τῆς πόλεως.* Quo loco homoeoteleuton et polysyndeton usurpavit. In verbis *οὐδὲν δήπου ἄδικον οὐδὲ ἀνόσιον* anaphoram habemus. Duas interrogationes eum dicentem fecit: *εἶ οὖν οὗτοι . . τίς ποτε πρὸς τὴν πόλιν θαρρῶν πορεύσεται;* quacum alteram interrogationem coniunxit: *τίς δὲ πείσεται ἡ πόλις κ. τ. λ. ἕκαστος;*

Iam adferam figuras, quibus Xenophon in defensione componenda usus sit.

VII 3, 7: *εὖ ἴστε ὅτι πρῶτον μὲν τῷ νομίζειν δίκαιον ποιεῖν, ἔπειτα δὲ τῷ ὑμᾶς ὀρθῶς κ. τ. λ.* paria paribus redduntur.

VII 3, 8 *φιλαίτατος μὲν ὢν Λακεδαιμονίοις . . . πιστὰ δὲ δοὺς κ. τ. λ.* antitheton; *δούλους μὲν οὐ μόνον ἐλευθέρους ἀλλὰ καὶ πολίτας ἐποίει,* antitheton; *προύδωκεν ὑμᾶς καὶ παρέδωκε* homoeoteleuton.

VII 3, 9: *ἅμα μὲν βλάπτονται, ἅμα δὲ αἰσχύνῃ περιπίπτουσιν* anaphora.

VII 3, 10: *κᾆτα εἰ μὲν ἀπεχόμενον τῆς ἡμετέρας πόλεως ἀπέκτεινέ τις αὐτόν, ἐπαίνου ἂν ἐτύγχανε. νῦν δὲ ὅτε πάλιν ἦλθεν ἄλλα πρὸς τοῖς πρ. κ. τ. λ.* antitheton et parison. *ἀλλὰ νὴ Δία, εἴποι ἄν τις, ἑκὼν ἦλθε,* hypophora. Quae defensio scatet interrogationibus: 8: *οὔκουν καὶ Εὔφρων πᾶσι τούτοις ἔνοχος ἦν;*

παρέδωκε τοῖς ἐναντίοις τὸν λιμένα; 9: *πῶς ἂν δικαίως ὑφ'ὑμῶν ἀποθάνοιμι*; 10: *ὁ δὲ ὑμᾶς . . ὑμῖν*; *ποῦ . . τυραννοῖς*; *νῦν . . τεθνάναι*; 11: *τοῦτον ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν . . ἀποθνήσκειν*; Uno loco VII 3, 10 Iovem invocat *νὴ Δία*; Verborum denique *πιστὰ δὲ δοὺς καὶ λαβὼν παρ'ὑμῶν πάλιν προὔδωκεν ὑμᾶς* Kemmer mentionem facit in libro, quem de „polare Ausdrucksweise" conscripsit [1]). Verba enim *διδόναι - λαμβάνειν* unam fere eandemque rem spectant atque idem fere significant atque *διαμείβεσθαι* vel *ἀντιδιαλλάτεσθαι* [2]).

Quibus expositis Xenophon figuras Gorgieas his in orationibus quaesivisse non videtur. Quarum alteram rhetorum veterum leges de oratione iudiciali secutus composuit. Legimus enim prooemium, argumentationem, refutationem, conclusionem. De narratione ommissa iam supra pauca addidi.

Cum rem ipsam omnium gravissimam existimaverit, eorum quos orationes habentes finxit, nomina afferre Xenophon hoc loco praetermisit, cum nihil ad rem pertineant. Nam nihil aliud spectabat quam ut Euphronem quam dilucidissime nobis ante oculos poneret ut certum iustumque de eo ferre possimus iudicium. Quo modo omnium bonorum in Euphronem inflammat odium qui Lacedaemonios prodiderit. Quod iam suspicamur, cum verba legimus quae Xenophon VII 3, 3 Euphroni ipsi tribuit. Nam quid malitiosius dici potest verbis *ὁπόσοι δὲ ἐπείθοντο οὐ πάνυ κατάδηλον* (3, 3)?

Profecto ei, qui adversus senatum Thebanorum se erat defensurus, de tristissimis verbis moribusque Euphronis agendum erat. Accusatione vero archontis ad verbum inserta animos Thebanorum venales, ut ita dicam, Xenophon aperuit, quorum mentibus erroris tenebris

---

1) cf. Kemmer „Die polare Ausdrucksweise" p. 249.

2) „*διδόναι - δέχεσθαι (λαμβάνειν)* im Sinne von austauschen, insofern mit dem Austauschen eine gewisse Vereinbarung, Abmachung erzielt wird" apud Kemmer legimus.

quasi obscuratis lumen attulerunt verba eius, qui Euphronem occiderat.

Quae cum ita sint, etiam hae ultimae orationes congruunt cum fine, quem tota Hellenicorum extrema in particula Xenophon spectat: societatem scilicet Lacedaemoniorum et Atheniensium conciliandam et confirmandam contendit, ut Thebanorum imperium perniciosissimum subruant.

VII 4, 8 Corinthii, cum de rebus suis iam magis solliciti laborarent atque pacem bello praeferrent, Lacedaemonem profecti foedus fecerunt cum Lacedaemoniis hac lege, ut ipsi ab omni bello abstinerent. Brevem orationem, quam Xenophon eam ob causam Corinthios Spartae habentes finxit, eorum ipsorum verbis reddidit. Lacedaemonios enim orant ut aut una cum Corinthiis pacem faciant aut Corinthiis pacem facere per Lacedaemonios liceat, si ipsi rationem aliquam intellegant, quamobrem bellantes perseverent. Quibus auditis Lacdaemonii Corinthiis ut pacem facerent permiserunt. — Verba autem, quibus Corinthii Thebas profecti, a Thebanis petiverunt, ut in ipsorum societatem iurarent (VII 4, 10), Xenophon memoriae non prodidit.

VII 4, 40 pauca Epaminondae verba inseruit. Quo loco, postquam initium fecit oratione obliqua (*τὸν δ' Ἐπαμεινώνδαν ἔφασαν κ. τ. λ.*) pergit oratione recta (*εὖ δ'ἴστε, ἔφη, . .*).

Simili modo VII 5, 2 Mantineenses secum considerantes finxit (*ἐκ τούτου ἀνελογίζοντο . . τί γὰρ δὴ πολεμεῖν ἡμᾶς κ. τ. λ.*) Hoc vero loco verbum *ἔφασαν* omisit.

II.

Conspectus orationum, dialogorum, sententiarum insertarum.

Sequitur conspectus orationum a Xenophonte Hellenicis insertarum. Atque verba quidem addidi, quibus Xenophon orationes instituit et ad finem perducit.

I 6, 5 Callicratidas apud Athenienses (p. 11)
ἔλεγεν αὐτοῖς τοιάδε | . . . . . .

I 6, 9-11 idem apud Milesios (p. 11)
τάδε εἶπεν | ἐπεὶ δὲ ταῦτ' εἶπεν

I 7, 16-33 Euryptolemus post pugnam ad Arginusas factam (p. 13 sq.)
ἔλεξεν τάδε | ταῦτ' εἰπών

II 3, 24-34 Critias Theramenem accusat (p. 24 sq.)
ἔλεξεν ὧδε | ταῦτ' εἰπών

II 3, 35-49 Theramenis defensio (p. 27 sq.)
ἔλεξεν | εἰπὼν ταῦτα

II 4, 13-17 Thrasybulus ante pugnam in Piraeo committendam (p. 37 sq.)
ἔλεξεν | ταῦτα δ'εἰπών

II 4, 20-22 Cleocritus ὁ τῶν μυστῶν κῆρυξ (p. 40 sq.)
ἔλεξεν | τοιαῦτα ἔλεγεν

II 4, 40-42 Thrasybulus post pacem factam (p. 41)
ἔλεξεν | εἰπὼν δὲ ταῦτα καὶ ἄλλα [τοιαῦτα

III 5, 8-15 Legati Thebanorum Athenis (p. 46 sq.)
. . λέγοντας τοιάδε | ταῦτ' εἰπών

IV 2, 11-12 Timolaus Corinthius (p. 52 sq.)
ἔλεξεν | . . . . . .

IV 8, 4 Dercylidas apud Abydenos (p. 53)
ἔλεξεν τοιάδε | ταῦτα ἀκούοντες

V 1, 14-17 Teleutias milites alloquitur (p. 53 sq.)
εἶπε τοιάδε | *ταῦτ' εἶπεν*

V 2, 12-19 Cligenes legatus apud Lacedaemonios (p. 65 sq.)
ἔλεξεν | *λεχθέντων δὲ τούτων*

V 2, 30 Leontiades Ismeniam accusat (p. 71 sq.)
εἶπε τάδε | . . . . . .

V 2, 33-34 Leontiades Spartae (p. 71 sq.)
ἔλεγε τοιάδε | *ἀκούουσι ταῦτα*

VI 1, 4-16 Polydamas refert de sermone quem cum Iasone habuit (p. 75 sq.)
εἶπε τοιάδε | *ταῦτ' εἶπεν*

VI 3, 4-6 Callias } legati Athen. Spartae { (p. 85 sq.) *ὧδέ πως ἤρξατο* | . . .
VI 3, 7-9 Autocles } legati Athen. Spartae { (p. 89 sq.) *ὧδε ἠγόρευεν* | *ταῦτα εἰπών*
VI 3, 10-17 Callistratus } legati Athen. Spartae { (p. 92 sq.) *ἔλεξεν* | . . .

VI 5, 37 Cliteles Corinthius in Atheniensium contione (p. 103)
εἶπε τάδε | . . . . .

VI 5, 38-48 } Procles Phliasius apud Athenienses } *εἶπεν* | . . . . (p. 103 sq.)
VII 1, 2-11 } Procles Phliasius apud Athenienses } (p. 110 sq.)
εἶπε τόνδε τὸν λόγον | *ταῦτ' εἶπεν*

VII 1, 12-14 Cephisodotus eadem in contione
ἔφη | . . . . [(p. 117 sq.)

VII 1, 30 Archidamus apud milites (p. 120 sq.)
τοιάδε παρακελεύσασθαι | *τούτων δὲ ῥηθέντων*

VII 2, 20 Phliasii milites Charetem imperatorem alloquuntur (p. 121 sq.)
ἔλεγον | . . . . . .

VII 3, 6 archontes Thebanorum eos, qui Euphronem interfecerunt accusant (p. 123 sq.)
ἔλεγον τάδε | *τοιαῦτα εἶπον*

VII 3, 7-11 caedis rei defensio (p. 124 sq.)
ὧδέ πως ἤρχετο | *ταῦτα ἀκούσαντες*

Quarum pleraeque orationes recte attribuuntur generi deliberativo: neque enim invenitur ulla oratio, quae generi panegyrico adscribi possit. Sed quattuor ad genus iudiciale proxime accedunt: scil. Critiae II 2, 24—34, Theramenis II 3, 35—49, archontum Thebanorum VII 3, 6, rei VII 3, 7—11. Illa vero Euryptolemi oratio I 7, 16—33 et generi deliberativo et iudiciali attribui potest. Tribus vero locis *παρακλητικόν* fere invenimus: scil. Thrasybuli II 4, 13—17, Archidami VII 1, 30, Phliasiorum militum VII 2, 20. Nonnullae autem adscribi omnino non possunt certo cuidam generi, veluti illae orationes, quas imperatores habent ad milites vel incolas cuiusvis oppidi velut: Callicratidae I 6, 5 et I 6, 9—11; Teleutiae V 1, 14—17.

Interdum orationes aliae aliis respondent ut certamina vocari possint:

II 3, 24—34 et II 3, 35—49 accusatio et defensio
VII 1, 2—11 et VII 1, 12—14 suasio et dissuasio
VII 3, 6 et VII 3, 7—11 accusatio et defensio

neque seiungendae sunt tres illae orationes legatorum Atheniensium VI 3, 4—6; 7—9; 10—17.

Nonnumquam fit, ut auctor eum qui loquitur non nominet:

III 3, 8 *εἰσαγγείλας*
VII 2, 10 *οἵτε ἱππεῖς καὶ οἱ χρησιμώτατοι τῶν ὁπλιτῶν*
VII 3, 6 *οἱ ἄρχοντες*
VII 3, 7 *τῶν δὲ ἀποκτεινάντων . . εἷς δέ.*

Verba quibus orationes vel incipiunt vel finiuntur, dudum exscripta adeo promiscue usurpata esse videntur ut nihil valeant ad augendam vel minuendam historicam fidem orationum neque inde effici cogique possit utrum oratio illa, quam Xenophon exhibet, revere habita sit necne. Uno loco II 4, 42 verbis *εἰπὼν δὲ ταῦτα καὶ ἄλλα τοιαῦτα* fortasse ipse significare voluit orationem Thrasybuli non accurate redditam, immo illius sententias esse adumbratas [1]).

[1]) de verbis „his atque talibus" apud Tacitum cf. Münzer, Die Verhandlung über das ius honorum d. Gallier anno 48, in Festschrift für Hirschfeld (1903) 38.

Deinceps pauca mihi dicenda esse puto de allocutionum usu, qualis sit in Hellenicis. Rockel quidem de hac re fusius disputavit [1]). Locis collatis in Hellenicis pariter usurpari contendit formulam ὦ ἄνδρες et simplicem vocem ἄνδρες cum nomine appellativo copulatam. Quod vero Rockel hoc ex allocutionis usu Xenophonteo concludit, rhetoricam maximeque Isocratis artem haud parvam vim habuisse in Xenophontis sermone perpoliendo (p. 11), hoc nimia cum sagacitate excogitatum mihi videtur.

Dialogorum conspectum videsis p. 60. Hoc loco addo dialogorum quae sunt in Hellenicis quasi fragmenta; colloquuntur:

III 4, 25-26 Agesilaus et Tithraustes	(p. 59)
IV 3, 2 Agesilaus et Dercylidas	(p. 57)
V 2, 26-27 Leontiades et Phoebidas	(p. 69)
V 3, 14-15 Agesilaus et Phliasii partim or. obl.	(p. 64)
V 4, 26 Sphodrias et Cleonymus	(p. 74)
V 4, 27 Cleonymus et Archidamus	(p. 74)
V 4, 30 Archidamus et Agesilaus	(p. 74)
V 4, 31 Archidamus et Agesilaus	(p. 74)
V 4, 32 Archidamus et Etymocles	(p. 75)
V 4, 33 Cleonymus et Archidamus	(p. 75)
VI 3, 5 Cleombroti et amici et inimici	(p. 99)

Sequuntur singulae singulorum virorum sententiae de quibus tractavi:

	pag.
I 1, 14 Alcibiadis	12 sq.
I 1, 30 Hermocratis or. obl.	13
I 3, 19 Anaxilai or. obl.	13
I 4, 3 epistula regis Persarum	13
I 6, 7 Callicratidae or. obl.	11
I 6, 14. 15. 32. Callicratidae or. obl.	11
I 7, 4 Theramenis or. obl.	14
I 7, 9-10 senatus auctoritas or. obl.	14
I 7, 15 Socratis or. obl.	15

1) Diss. Königsberg, 1884 p. 7. sq.

	pag.
II 3, 22 Theramenis	24
II 3,56 duae Theramenis sententiae	35
II 4, 9 Critiae	37
III 2, 7 *τοῦ τῶν Κυρείων προεστηκότος*	45
V 3, 25 Agesilai or. obl.	64
V 2, 35-36 Ismenias capitis damnatur or. obl.	72
V 4, 13 Agesilai or. obl.	73
VI 4, 2 Prothoi or. obl.	99
VI 4, 15 *πολεμάρχων* or. obl.	100
VI 4, 24 Iasonis	81
VI 5, 4-5 Agesilai	100
VII 1, 37 Leontis Atheniensis	121
VII 4, 8 Corinthiorum legatorum Spartae	128

Vocem populi audimus I 4, 13 or. obl. 10
I 7, 12 or. obl. 16
VI 5, 33—36 or. obl. 101
uno vero loco legati cuiusdam Lacedaemoniorum verba legimus
VI 5, 35 102
(videsis pagina 134).

Compluribus vero locis orationes non ad verbum inseruit; obliqua igitur, quam dicimus, oratione utuntur:

III 1, 8 socii Lac. Spartae	45
V 2, 1—2 legati Lac. apud Mantineenses	63
V 2, 8 Phliasiorum legati Spartae	64
V 2, 9 quae Lacedaemonii responderint	64
V 3, 11 Phliasiorum exsules Spartae	64
V 3, 10 Phliasiorum exsules apud cives ipsos	64
V 3, 24 Phliasiorum legati Spartae	64
V 4, 22 Lacedaem. legati Athenis	73
VI 2, 9 Corcyraeorum legati Athenis	84
VI 4, 19—20 Thebanorum nuntius Athenis	100
VI 5, 2 Elei Athenis	100
VII 4, 10 Corinthiorum legati.	128

Sequuntur denique loci quibus Xenophon ab oratione obliqua variandi causa transit ad orationem rectam in verbis:

		pag.
II 3, 15	Theramenis	24
II 3, 16	Critiae	24
II 3, 19	Theramenis	24
II 4, 18	τοῦ μάντεως	40
IV 2, 3	Agesilai	60
IV 6, 13	Agesilai	59
V 2, 32	Agesilai	70
VI 4, 22—23	Iasonis	81
VII 1, 23—24	Lycomedis	119
VII 1, 44	Euphronis	123
VII 3, 2—3	Euphronis	127
VII 4, 40	Epaminondae	128
VII 5, 2	Mantineensium.	128

Sunt quin etiam loci, quibus auctor, postquam initium fecit oratione obliqua non solum perrexerit oratione recta, sed denuo redierit ad orationem obliquam, velut in verbis

I 1, 27	Syracusan. imperatorum	13
I 7, 5—7	praetorum navalium	14

quorum in numero VI 5, 33—36 quoque referri possunt (videsis p. 133).

Hoc ex conspectu plurimas orationes ultimae parti, paucissimas mediae, quae tertium ac quartum librum complectitur insertas esse apparet. At hanc partem Xenophon compluribus dialogis instruxit. Quintus praecipue liber scatet orationibus, quas Xenophon non ad verbum memoriae prodidit. Locos vero quibus auctor ab oratione obliqua transit ad orationem rectam, praecipue in prima et ultima Hell. parte invenimus. Qua de re, quam „Rückfall aus der indirekten in die direkte Rede" appellat, H. Fränkel nuper scripsit [1]. Quam dicendi mutationem Homerum non neglegentia quadam usum adhibuisse Fränkel comprobare studet. Genus enim dicendi priscorum illorum temporum non minus

[1] H. Fraenkel „Eine Stileigenheit der frühgriechichen Literatur" II pag. 109 sq. in Nachrichten der Ges. d. W. in Göttingen, Philolog.-hist. Klasse 1924.

atque cogitandi rationem omnino differre a dicendi cogitandique modo, quo his diebus utamur. Atque pergit: „direkte Rede ist nicht weniger logisch als indirekte; es muß nur deutlich sein, daß eine fremde Äußerung wiedergegeben wird. Dieser Hinweis liegt für den archaischen Stil in dem indirekten Anfang der Rede; was an ihn anschließt, muß gleichfalls Äußerung jenes andern sein.“ Quin etiam Homerus omittit hic illic oratione obliqua relicta verbum ἔφη. „Nachdem er so erfreulich glatt und unmerklich mitten in die Rede hineingekommen ist, will er nicht ihren Zusammenhang durch eine störende Zwischenbemerkung zerreißen“ (pag. 110). Quae Fraenkeli verba in Xenophontem quoque transferenda esse censeo, qui non neglegentia quadam in scribendo usus sed suam ipsius dicendi atque cogitandi consuetudinem secutus haud raro hoc modo virorum quos dicentes induxit verba proposuit ut iucunda in afferendis aliorum verbis uteretur variatione. Tribus quin etiam locis eodem modo atque Homerus verbum ἔφη omisit, scilicet II 3,16; VII 1, 24; I 1, 7. Qua in re valde differt a Thucydide, quem orationes rectas obliquis praetulisse consentaneum est, nam tota eius historia scatet orationibus rectis; in extrema tantum parte scilicet a cap. 78 lib. VII nulla iam oratio recta invenitur, paucis illis Pisandri verbis VIII 53 exceptis. Quam ob causam alii Cratippo teste [1]) Thucydidem de industria orationes omisisse putabant, alii morte eum impeditum esse iure censent, quominus orationes adderet.

---

[1]) Dionys. Hal. de Thucyd. 16.

Conclusio.

Quibus de causis Xenophon orationes Hellenicis inseruerit.

Iam ad finem perduximus nostram quaestionem. Restat ut si fieri potest, quibus de causis cum antiqui rerum scriptores tum Xenophon orationes operibus historicis inseruerint perspiciamus.

Ad rerum gestarum memoriam artificiose formandam maximi sane fuit momenti, quod hoc litterarum genus Athenis excultum est et iis ipsis temporibus, quibus libera res publica Atheniensium vigebat. Ars enim oratoria, quae tunc temporis in nulla alia civitate magis florebat quam Athenis, historiae nascentis sermonem et compositionem in eam formam redegit, quae per totam fere antiquitatem atque etiam multo diutius servata est. Polybius (XII 25 a 3) scilicet de orationum vi scripsit: *ἃ σχεδὸν ὡσεὶ κεφάλαια τῶν πράξεων εἴη καὶ συνέχοι τὴν ὅλην ἱστορίαν.*

Ad dicendi autem artem fovendam atque excolendam Athenienses illa aetate duabus de causis omnem contulerunt operam. Nam primum quidem unusquisque civis Atheniensis in libera re publica gerenda auctoritatem et gratiam nullo modo consequi poterat nisi magna facultate dicendi: in contione, in iudicio, in consilio vis monendi, persuadendi, concitandi orando exercebatur; accedebat quod ars oratoria tunc Athenis etiam sui ipsius causa coli coepta est. Hac enim in urbe, quae domicilium erat omnium ingenuarum artium, sophistae illi et rhetores, dicendi magistri, officinas suas instruxerant, ut novam dicendi artem docerent, quae brevi Athenis magis efflorescebat quam in Sicilia, ubi orta et procreata erat. Rhetorum autem disciplina cum utebantur, non solum orationes publice habendas sed omnem orationem solutam artificiose exornare et componere discebant, qua ex

re homines antiqui eo maiorem oblectationem percipiebant, quod illis temporibus omnia scripta ad recitandum potius et audiendum quam ad legendum destinata esse solebant.

Quae cum ita sint, haud mirum est Herodotum et Thucydidem clarissimos illos rerum Atheniensium scriptores quamvis non imbutos noviciis illis aurium oblectamentis quibus rhetores gloriabantur, tamen non prorsus ea spernentes historicis in operibus componendis usos esse orationibus. Cum vero nobis orationes, quas Herodotus [1], Homeri ille et tragicorum poetarum discipulus, historiae inseruit, vixdum sophistarum artes redolere videantur, Thucydides [2] e Gorgiae disciplina profectus divino quasi dicendi impetu incitatus admirabiles illas orationes composuit. Nam cum exsul rei publicae muneribus orbatus illius dicendi studii in administranda re publica adhibendi facultatem amisisset, vel hac re adductus videtur esse, ut historiis scribendis saltem orationes insereret. Posteriorum autem temporum scriptores cum Thucydidis artem historicam imitandam haud raro sibi proposuissent, ipsi quoque opera sua orationibus ornaverunt, quibus in componendis rhetorum praecepta magis magisque exculta et expolita diligentissime saepe secuti sunt, quae cum ita sint eo notabilius est, quod Hellenicis illis Oxyrhynchiis nulla omnino oratio inserta est. Uno tantum loco (p. X, 1 ed. Grenfell et Hunt, Oxford 1909) Dorimachum quendam auctor eius ipsius verbis dicentem, induxit *ἴωμεν, ὦ ἄνδρες πολῖται, ἐπὶ τοὺς τυράννους τὴν ταχίστην.*

Ad Thucydidis igitur scribendi artem Xenophon, cum arti rhetoricae quasi debitum solveret, se accomodabat. Ex iis vero quae in hoc commentariolo exposui,

1) de Herodoto cf. W. Aly, imprimis p. 279 sq.
2) de orationibus apud Thucydidem cf. R. C. Jebb: The Speeches of Thucydides published in Hellenica, a Collection of Essays on Greek Poetry, Philosophy, History and Religion edited by Evelyn Abott, Oxfort 1880. Autorisierte Uebersetzung von J. Imelmann, Berlin 1883. — M. Pohlenz, Thucydidesstudien I et II (Nachrichten v. d. Ges. v. Wiss. Göttingen. philol. Heft Kl. 1919 p. 95—138; 1920 p. 56—82).

Xenophontem Thuc. vestigia non servilem in modum pressisse satis elucet. Sane quidem antiqui rerum scriptores orationum vere habitarum formam non ita servaverunt, ut verbum pro verbo referrent; hoc vel inde patet quod eis persaepe orationes quos scripturi erant audire et calamo excipere non licebat. Immo cum sententiae quas proferunt plus minusve congruant cum ipsorum oratorum argumentis, verba discrepant. Persaepe autem et sententiae et verba scriptoris sunt, qui orationem aut totam ipse finxit, aut pro oratione re vera habita, quam ipse fortasse non audiverit neque satis noverit, posuit. Thucydides quidem ipse de orationum quas inserit fide historica loquitur in Historiarum libri primi cap. 22 *καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἐπαγγέλλουσιν. ὡς δ'ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται* [1]).

Quae Thucydidis verba de orationibus quoque a Xenophonte Hellenicis insertis dici possunt. Quamquam inter utriusque scriptoris orationes magnas deprehendi posse dissimilitudines neminem fugit, imprimis, si Xenophontis orationes cum Thucydidis comparaveris, illas egregio illo colore et gravitate Thucydidearum egere facile intelleges. Etiam amplissimae Xenophontearum multo breviores sunt et adumbratae esse videntur; neque diligentissime secundum rhetorum praecepta orationes composuit; immo sunt quas omnino suo arbitrio conscripsisse videatur. Modo deest prooemium, modo narratio, modo initium orationis plane abruptum est mediasque in res introducimur [2]). Ut exordium, sic peroratio saepe

1) cf. Pohlenz: Thucydidesstudien: de his verbis „Es war also nicht eine Freiheit, die Thucyd. hier für sich in Anspruch nahm; es war die erstmalige Festlegung einer objektiven Richtschnur, an die er sich auch auf diesem Gebiet gebunden fühlt."

2) cf. II 3, 24—34. VII 3,10. II 3, 35—49. VI 5, 38—48.

deest, vel brevissima adiungitur. Ita fit ut Xenophontis orationes totae fore versentur in argumentatione, i. e. probatione aut refutatione. Neque hoc mirum; hac enim orationis parte gravissima scriptor rerum causas et conexum, hominum indolem et consilia facillime explicare potest.

Nonnullae vero orationes tam breves sunt, ut praeterquam quod qua data occasione oratio habita sit comperimus, sententiae prolatae obiter tantum significentur[1]).

Adde quod figuras quae Gorgieae vocantur, Xenophon perumque consulto non adhibuit. Quam ob causam vix vera mihi videntur, quae Horn[2]) comprobare studet; scilicet Xenophontem antitheta arte quadam rhetorica usum Hellenicis ita inseruisse, ut pleraque in altera ultimaque parte inveniantur. Nam ex iis, quae supra contuli, satis apparere puto Xenophontem et antitheta et reliqua schemata in utraque Hell. parte eodem fere modo adhibuisse, prout res ipsa cogebat.

Praeterquam vero quod antiqui rerum scriptores orationibus scribendis arti rhetoricae quasi debitum munus solvebant, generi historico singulare artificium addiderunt: ubi rerum scriptor magnos rerum eventus aut commutationes, gravia consilia, homines egregios descripturus est, narratione paululum insistente rerum causas, ingenia, agentium mores consiliaque subtiliter explicat. Quod persaepe orationibus inserendis assequitur. Et cum eiusmodi disputationes non suo nomine proferat, sed sui operis personis attribuat, efficit, ut quae dicuntur non in sua ipsius opinione sed in veritate posita esse videantur. Adde quod Xenophon orationes omnino suo arbitrio usus inseruit. Neque enim illas orationes vel sermones referendos elegit, quibus gravissimae res tractatae vel decretae sunt, sed suo amore odioque ductus est in hominibus occasionibusque eligendis. Itaque cum profecto ab ira ac studio alienus

1) cf. I 6, 5. 6, 9 11. II 4, 20—22. 4, 40—42. VI 5, 37. VII 1, 12—14.

2) Walther Horn: quaestiones ad Xen. elocutionem pertinentes, Diss. Halle 1924.

non fuerit, in orationum delectu ac fide historica eum haud raro peccavisse statuamus licet.

Attamen his orationibus et delectamur et commovemur, quia homines agentes oculis quasi cernere eorumque verba auribus percipere nobis videmur.

Quod vero Xenophon mediae Hellenicorum parti paucissimas tantum orationes inseruit, hanc alteram partem, quae tertium ac quartum complectitur librum, a Xenophonte suo ipsius scribendi vivido generi indulgente primam conscriptam esse iure cum M. Pohlenzio contendisse videmur (vide supra p. 7 sq.)

Adde quod hac in antiquissima quam conscripsit parte narrationem ita composuit ut res compluribus annis in eadem regione gestas uno tenore persequeretur. Subsecuta vero videtur esse prima Hellenicorum pars quae libros I et II 3, 10 complectitur, quam Thucydidis exemplum secutus non solum amplissimis exornavit orationibus Euryptolemi, Critiae, Theramenis, sed in qua etiam annorum seriem ut Thucydidis sectator servare studuit, fine uniuscuiusque anni accurate notato. Syracusanorum quin etiam ad res ut Thucydidea fert ratio in temporibus definiendis spectavit. Res vero ab Antalcidae pace usque ad pugnam apud Mantineam commissam gestas etsi Xenophon in tertia Hellenicorum parte (inde a V 2) ipso quoque temporum ordine servato narrat, tamen singulorum annorum fines nullo modo notavit atque multis partibus Thucydidis verstigia sprevit. Verum enim vero ultimam hanc Hellenicorum partem permultis sane orationibus aptissime exornavit, ut artem Thucydideam plane singulari modo imitatus hominum ingenia moresque accuratissime describeret, Graecorum animos quam vehementissime excitaret, nonnullis orationibus summa cum licentia suas ipius sententias aliorum ore proferret. — Sed quamqaum Pohlenzii illam sententiam quam maxime probo, qui alteram Hellenicorum partem ante primam conscriptam esse existimaverit, certum de hac re ferre iudicium, idquod iam supra p. 8 sum professa, vix licet.

Libris et commentariis potissimum his sum usa:

1. J. Albertus, Die παρακλητικοί i. d. gr. u. röm. Lit., Diss. Straßburg 1908.
2. W. Aly, Volksmärchen, Sage und Novelle bei Herodot und seinen Zeitgenossen. Göttingen 1921.
3. Aulitzky, Corax P. W. IX (1379) 3.
4. A. Banderet, Untersuch. z. Xen. Hell. Diss. Berlin (Basel) 1919.
5. W. Barczat, de figurarum disciplina atque auctoribus, Diss. Göttingen 1904.
6. J. Beloch, Griechische Geschichte, II 1. 2: III 1. 2; Straßburg 1914—1923 [2].
7. J. Beloch, Attische Politik. Leipzig 1884.
8. Fr. Blass, Attische Beredsamkeit, I et II Lpz. 1887—1892 [2].
9. A. v. Blumenthal, Der Tyrann Critias als Dichter und Schriftsteller. Leipzig 1923.
10. I. Bruns, Das literarische Porträt der Griechen. Berlin 1896.
11. G. Busolt, Griech. Geschichte, III 2. Gotha 1904.
12. G. Busolt, Der 2. athen. Bund, Fleckeis. Jb. Suppl. VII (1874) p. 641 sq.
13. Christ-Schmid, Gesch. d. gr. Lit. I[6]. München 1912.
14. G. Dzialas, Rhetorum antiquorum de figuris doctrina. pars prior Vratislav. 1869.
15. E. Fabricius, Zur Gesch. d. 2. athenischen Bundes, Rh. M. 46 (1891) 589.
16. Th. Fellner, Zu Xen. Hell. — Histor. Untersuchungen A. Schaefer gewidmet. 1882.
17. H. Fränkel, Eine Stileigenheit der frühgriech. Lit. II p. 109 sq. — Nachricht. d. Ges. d. Wiss. Göttingen, Philol. -hist. Klasse 1924.
18. L. Gautier, La langue de Xénophon, Diss. Genf 1911.
19. Max Goebel, Ethnica, Diss. Breslau 1917.
20. R. Hirzel, Der Dialog I, Leipzig 1895.
21. P. Hamberger, Die rednerische Disposition in der alten τέχνη ῥητορική (rhet. Studien ed. Drerup 2. Heft), Paderborn 1914.

22. Walther Horn, Quaestiones ad Xen. elocutionem pertinentes, Diss. Halle 1924.

23. R. C. Jebb, The Speeches of Thucydides, publ. in Essays on Greek Poetry Philosophy, History and Religion editet by Evelyn Abbott, Oxford 1880.

24. C. Joel, Der echte und der Xen. Sokrates. Berlin 1893.

25. E. Kemmer, Die polare Ausdrucksweise i. d. gr. Lit. (Beitr. z. hist. Syntax, ed. Schanz, Heft 15), Würzbg. 1903.

26. J. Kirchner, Prosopographia Attica, 2 vol. Berlin 1901.

27. H. Kramer, quid valeat ὁμόνοια in litteris Graecis, Diss. Göttingen 1915.

28. K. W. Krüger, Hist. philol. Studien II, Berlin 1851.

29. Ed. Meyer, Gesch. d. Altertums III—V, Stuttgart 1901-1913 [2].

30. Ed. Meyer, Theopomps Hellenica. Halle a. d. S. 1909.

31. Th. Miller, Euripides rhetoricus, Diss. Göttingen 1887.

32. Aemil. H. O. Mueller, de Xenophontis Historiae Graecae parte priore, Diss. Leipzig 1856.

33. C. O. Müller, Die Dorier, 2. Bde., ed 2. ed. F. W. Schneidewin, Breslau 1844.

34. Rud. Müller, Quaestionum Xenophontearum capita duo. Diss. Halle 1907.

35. K. Münscher, Der 6. Isokrat. Brief, Satura Viadrina. Bresl. 1896.

36. K. Münscher, Isocrates, P. W. (2146 sq) 2.

37. K. Münscher, Walther Saupe „Die Anfangsstadien d. griech. Kunstprosa i. d. Beurteilung Platons“. Berl. Philol. Wsch. 1917, 977 sq.

38. K. Münscher, Xen. i. d. gr. röm. Lit. Philol. Suppl. XIII 2, Lpz. 1920.

39. F. Münzer, Die Verhandlung über das ius honorum der Gallier anno 48, (Festschrift f. Hirschfeld 1903, 38).

40. O. Navarre, Essai sur la rhét. grècque avant Aristote. Paris 1900.

41. B. G. Niebuhr, Ueber Xen. Hell. — Rh. M. 1 (1827) 196 sq. — Kl. hist. u. philol. Schriften I (1828) 464 sq.

42. A. Nieschke, de Thucydide, Antiphontis discipulo et Homeri imitatore. Progr. Münden 1885.

43. B. Niese, Beitr. z. griech. Gesch. — Hermes 39 (1904) 84 sq.

44. W. Nitsche, Ueber die Abfassung v. Xen. Hell. Progr. Berl. 1871.

45. H. Peter, Wahrheit und Dichtung Geschichtsschreibung und Plagiat im Altertum. Leipzig 1911.

46. M. Pohlenz, Griech. Lit. (Einleit. i. d. Altertumswiss. ed Gercke — Norden, 1. Bd., 3. Heft, Teubner 1924).

47. M. Pohlenz, Thucydidesstudien I et II (Nachrichten der Gesellsch. d. Wissensch. Göttingen, Philol.-Histor. Klasse 1919, p. 95—138, 1920 p. 56—82).

48. P. Poralla, Prosopographie d. Lakedaimonier, Diss. Breslau [1913.
49. Preller-Robert, Griech. Myth. I 1894 4.
50. A. Rapaport, Xenophontea, Eos XXVII 1924, 19 sq.
51. Rauchenstein-Münscher, Ausgewählte Reden d. Isokrates. Berlin 1908.
52. C. Reich, Einfluß der griech. Poesie auf Gorgias. 2 Prgr. Ludwigshafen 1908/9.
53. C. J. Rockel, de allocutionis usu, qualis sit apud Thucydidem, Xenophontem etc. Diss. Königsberg 1884.
54. A. Roquette, de Xen. vita, Diss. Königsberg 1884.
55. F. Rosenstiel, de Xen. historiae graecae parte bis edita, Diss. Göttingen (Berlin) 1882.
56. H. Sauppe, Gött. Nachr. 1882, 297 = ausgewählte Schriften. Berlin 1896, 743 sq.
57. H. Schacht, de Xenoph. studiis rhetoricis, Diss. Berlin 1890.
58. A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit I 2. Leipzig 1885.
59. O. Schroeder, de laudibus Athenarum a poetis tragicis et ab oratoribus epidicticis excultis, Diss. Göttingen 1914.
60. Ed. Schwartz, Quellenuntersuchungen z. gr. Gesch. II, Rh. M. 44. (1889) 161 sq.
61. O. Staehlin, Iason, P. W. IX (771 sq.) 3.
62. E. Stemplinger, Das Plagiat i. d. gr. Lit. Leipzig 1912.
63. E. v. Stern, Gesch. d. spartan. u. theban. Hegemonie vom Königsfrieden b. z. Schlacht v. Mantineia, Dorpat 1884.
64. Süß, Ethos, Leipzig 1910.
65. R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer. Lpz. [1885 2.
66. M. Wellmann, Gorgias, P. W. VII (1598 sq.) 8.
67. P. Wendland, Anaximenes v. Lampsakos, Berlin 1905.
68. U. v. Wilamowitz, Aristoteles und Ath. 2. voll., Berlin 1893.
69. U. Wilcken, Zu Iason v. Pherai, Hermes 59 (1924) 123 sq.
70. F. O. Wissmann, de genere dicendi Xen. Diss. Gießen 1888.

Index capitum.

Vita.

Nata sum Elisabeth Vorrenhagen a. 1897 a. d. VI. Id. Jun. in vico Rhenano cui nomen est Gruiten, patre Johanne, matre Elisabeth ex gente Mueller, quos etiam nunc salvos esse valde gaudeo. Fidei addicta sum catholicae.

Litterarum elementis imbuta scholam, quam vocant Ursula Lyzeum in oppido Duesseldorf adii. Inde ab anno 1913 ad annum 1917 studiis in eiusdem urbis seminario praeceptorum quod dicebatur Oberlyzeum dedi operam. Anno vero 1918, ut studiis philologis incumberem, almam matrem Monasteriensem petivi, cuius civis per sedecim semestria fui maturitatis testimonium mense Sept. anni 1920 interim adepta. Sex vero per menses Berolini omnem navavi operam arti philologorum discendae.

Docuerunt me vv. dd. Monasterienses: Cauer †, Ehrenberg †, Ettlinger, Hoffmann, Koch †, Latte (nunc Basileensis), Meister †, Muenscher, Muenzer, Rosenmoeller, de Salis, Schoene, Schmitz-Kallenberg, Seeck †, Sonnenburg, Spannagel, Vollbach; Berolinenses: W. Jaeger, Noack, de Wilamowitz-Moellendorff.

His viris omnibus bene de me meritis quantum debeam numquam obliviscar. Imprimis K. Muenscher et H. Schoene egregia qua studia mea foverunt benevolentia in perpetuum me sibi devinxerunt. K. Muenscher vero gratiam habeo maximam, qui hac in commentatione perficienda consilio atque opera benignissime me adiuverit.